ITER PER MUNDUM CARTESII.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AMSTELAEDAMI,
Apud ABRAHAMUM WOLFGANG.

cIↃ IↃc xciv.

Digitized by Google

Ob. 2 — 4

Digitized by Google

PRAEFATIO
INTERPRETIS.

SIſte gradum, B. L., paucis te volo, imò pauciſſimis, feſtinæ enim urgent operæ. Vides hîc geminos ejuſdem auctoris, qui vulgò P. Daniel cluit, tractatus elegantes, Gallicos origine, nunc jure Latii donatos. Erunt fortaſſe, qui, cùm adeò nota ſit & familiaris ubique terrarum hodie Gallorum lingua, inutilem huncce vertendi laborem ſunt exiſtimaturi, idque profectò non abs rationis ſpecie: tanta enim eſt, & tam latè per omnes terrarum oras diſperſa iſtius Idiomatis cognitio, ut univerſalis quaſi dialecti vicem præſtet, omnibuſque tam qui ſtudiis & ſcientiis incumbunt, quàm qui nulla cum Muſis fovent commercia, notiſſimum ſit & familiariſſimum. Hæc tamen nullatenus obſtitere, quin celeberrimi Typographi p. m. adnuerim votis ſeriis, meque ad hoſce tractatus pro virili Latinitate donandos compoſuerim, eâ inductus ſpe, fore ut nonnullis philoſophis, quorum ſu-

percilium haud tulit, ut Gallorum linguæ exactam ſatis ſibi compararent notitiam, hic meus qualiſcumque labor, quem ſanè non puſillum fuiſſe liquidò poſſum jurare, non ingratus ſit futurus. Imò fuit cùm inciderem in eos, qui, licèt Gallicè docti, libentiùs hæc tamen Latinè amabant legere, & mecum exoptabant auctorem ipſummet Latinè dediſſe. Jam verò numquid hæc rectè verterim, an ſecus, tuum eſto, B. L., judicium. Nondum eò arrogantiæ, & ut efficaciùs Græcè dicam, αὐθαδείας proceſſi, ut omnes Gallicas veneres, & ſales, quibus refertiſſimi ſunt hi tractatus, feliciter Latinè me expreſſiſſe perſuaſum habeam, nec verò tam abjecti animi, ut mediocriter quid præſtitiſſe planè deſperem. Habebit ſcilicet hæc verſio, quod omnes adſolent, multum nativi ſui ſplendoris amiſerit, ita tamen ut nullo alieno ſit fuco inducta; nam phalerata verba cane pejus & angue vitavi, & a calamiſtratâ oratione, ſicut ubique, ita præcipuè in rebus Philoſophicis, ſummo opere

ca-

cavendum mihi eſſe arbitratus ſum. Hoc unum præ primis metuo, ne fidus nimiùm interpres fuerim, dum verbum verbo fere conatus ſum reddere, quod tamen ſatiùs eſſe duxi, quam paraphraſticâ interpretatione ab auctoris mente tam recedere, quàm qui maximè. Quàm vellem, nonnihil mirandi iſtius Tabaci cum admiſtâ herbâ, quâ uſi fuerunt Carteſius, & auctor noſter ad ſe corpori ſubducendos ſuo, mihi potuiſſem comparare. Quòd ſi ulla ſpes fuiſſet, vel tantillum ejus inveniendi, indefeſſo labore omnes Tabacopolarum tabernas, omnes angulos perreptâſſem, ad eruendam ex latebris tanti pretii mercem. Quanti uſus fuiſſet, ejus ope ſi corpus meum liquiſſem, & mera anima nullas hoſtium infeſtas acies in inimicâ regione verita auctorem adiiſſem ipſum ecquid adrideret verſio ſciſcitaturus, ecquid nimiùm ineptiret, quàm ut prodiret in publicum, ſincerè edocendus. Id ſanè commodi inde fuiſſet exortum, ut veram auctoris mentem potuiſſem exhibere, a quâ nunc for-

tean, licèt ſtylo claro admodum & perſpicuo utatur, in plurimis aberravi, vel præ tenerâ in Philoſophicis meâ cognitione, vel debili Gallicè intelligendi & Latinè vertendi peritiâ.

Porrò, ſicuti prior hujus libri pars ſatis innotuit, utpote jam ante biennium Gallicè & in Galliis, & hîc impreſſa, ita poſteriorem vix ab uno aut altero viſam nullus dubito. Prodiit ſcilicet hæc exeunte ſuperiori anno Pariſiis, nec adhuc in hiſce oris prælo denuò ſubjecta fuit. Auctorem cum opuſculis ſuis a me commendari, & laudibus ad cælum extolli, quod tamen commentatoribus & interpretibus in more poſitum eſt, ne quis exſpectet. Integrum omnibus relinquo judicium. Judicent, qui velint, indecorum eſſe, ut dubitemus de effatis Carteſii, quæ pro meris Apollinis Pythii oraculis habent, indignum exiſtiment, celeberrimum Theologicarum partium ducem hîc deridendum fere propinari, ficulneas judicent rationes, quas adversùs decantatum Carteſii verticum ſyſtema in

me-

edium auctor profert, pro gerris & ugis habeant argumenta, quæ adferntur pro cognitione Brutorum contra lendidiſſimum de merè automaticis ani-alibus figmentum, deniquè voluptatem ipiant, vel ægrè adficiantur ex lectio-e horum tractatuum, per me licet: id mmen poſſum pro certo adfirmare, plu-s futuros, qui in riſum ob auctoris pida & ſalſa dicteria ſolventur, quàm ui triſti ſupercilio tetricoque vultu hæc gravi Philoſophorum conſpectu remo-enda ſunt arbitraturi. Nunc manum e tabulâ, meis erroribus, quoſcumque emum offenderis, humanitus ignoſce, alicubi hæſitas, Emendanda inſpice. Quibus addas tamen velim, perperam me plurimis locis uſurpâſſe τὸ Planeta *m. gen.*, *ut &* Cometa *uno aut altero, ujus delicti veniam ſeveros Gramma-icos rogo, oro.*

ADMONITIO.

ANni ſunt elapſi fere tres, ex quo hic Liber ad editionem adcinctus eſt; quâ de re Lectores convinci ſi e re aliquantum eſſet, poſſet id fieri teſtimonio hominum non ſuſpectæ in hiſce fidei, quibuſque quàm facillimè crederetur, in Auctoris gratiam quidpiam adſeverantibus. Lectores id animadvertere queunt duobus vel tribus locis, quæ aliquomodo ad illa referuntur tempora, quæque non ita neceſſum exiſtimavimus immutari. Ex iis eſt ſimultas inter Dominum Arnaldum, & P. Malbranchium Oratorii Patrem, quæ narratur nullâ injectâ mentione induciarum quarundam pactarum inter ipſos. Verùm in rem judicamus admonere eos, quorum non eſt adeò exactè hæc iſtiuſmodi ſcire, Tabulam Lunæ, cujus ſatis prolixè alterutrum deſcribitur hemiſphærium in Itinere per Mun-

Mundum Carteſii, non eſſe rem
iovam; nec Platonem, Ariſtote-
em, Gaſſendum, Merſennum &c.
ſſe tractus & terras nuperè dete-
tas in vaſtâ illâ regione, vel ad-
unctas Tabulæ ab Libri hujus Au-
tore. Jam diu eſt, ex quo hæc
ɔca Aſtronomis innotuerunt, & ex
uo ad dignitatem Principatûs ſunt
vecta in gratiam magnorum homi-
um, quorum inſigniuntur nomi-
e. Cernere illa eſt in Almageſto
Riccioli, & apud complures alios
Mathematicos, qui agunt de obſer-
ationibus Eclipſium Lunæ.

Præterea nonnulli fortè rogârint,
uare P. Merſennus in conſortium
t adlectus a Domino Carteſio in
ɔnſtructione ſui Mundi præ tot
iis famæ celebris Carteſianis, quos
igere potuiſſet. Ad quod ego re-
ondeo P. Merſenni potiores fuiſ-
partes, non tantùm quia ſingu-
i exiſtimatione & amore Domi-
is Carteſius eum complectebatur,

haud ſecus ac omnes reliqui ſui temporis celebres Philoſophi; verùm etiam, quia ille ſolus is erat, qui poſſet Carteſio auxiliari in magno illo propoſito, ubi id adgrederetur: reliqui enim illuſtres Carteſiani non niſi poſt ipſum mundum noſtrum reliquerunt.

IDEA OPERIS GENERALIS.

A Quâ ſuam Hiſtoriam veram exorditur Lucianus, commodiſſima omnium methodus eſt. Statim ab initio denuntiat ſuo Lectori, quidquid dicturus eſt, falſum eſſe. Poſtea totum ſuæ ſe committens imaginationi, nullo diſcrimine in chartam conjicit omnes ineptias, quas illa ſuggerit imaginatio. Hâc ratione quis ſe liberat a maximâ moleſtiâ, quæ occurrit in compoſitione iſtiuſmodi operum, quæ conſiſtit in ſervandâ ſemper veriſimilitudine in narrando, cui neceſſariò obnoxius eſt omnis qui narrat Scriptor. Habet hoc incommodi illud exordium, quòd non ſecundâ vice queat uſurpari, quodque obſoletum videri incipiat, ſimulac deſinit omnino novum eſſe. Iſtius libertatis publicam veniam nemo impetraverit, niſi ille, qui primus eam ſibi ſumere decrevit. Nec eſt qui imitari hanc rationem potuerit, niſi pro plagiario habeatur; eſtque ingenii acumen, quod nihil amplius mirandi, nil grati habet. Hæ rationes junctæ difficultati, quam ſatìs conjicere eſt mihi occurriſſe in ſtrictè obſervando rigidam legem veri-

riſimilitudinis in meâ Hiſtoriâ, perſuaſuræ ſunt lectoribus, me non ſemel Luciano felicem illam methodum invidiſſe; nec id inficias ivero. Adjungam verò, alteram quandam animadverſionem me certò certiùs in aliam ab hâc partem fore ut determinâſſet, licèt alioquin potuiſſem hanc decorè eligere. Philoſophus ſum, & illa Philoſophi profeſſio non mihi permittit, ut eâ me geram ratione. Character Philoſophi eſt, ſemper verum dicere, vel imaginari ſemper ſibi vera dicere: vel ſaltem velle ſemper videri illa dicere. Lubenti animo ab illo degenerare, & datâ operâ id præ me ferre, ut ſequar exemplum infenſiſſimi eorum, quos umquam habuerunt hoſtes Philoſophi, peſſimè eſt reſpondere dignitati, quam mihi maximo honori duco. Atque ita ſatìs mihi caviſſem, ne umquam tale adhiberem exordium, & meis lectoribus innuerem, ut Lucianus, omnia quæ mihi ad illos eſſent dicenda falſa eſſe. Imò jam e veſtigio illos moneo, ſcopum mihi eſſe omnino contrarium, meque velle Hiſtoriæ meæ adhibere ſpeciem veritatis quæ eſſet perſuadendo vel maximè incredulis, omnia, quæ in eâ narro, eſſe certiſſimè vera, niſi obſtiterit præjudi-

icium, quo imbuti eam lecturi ſint, odque in cauſsâ eſt, cur, quantum operam dederim maximam ut credi- em me redderem, nemo tamen fidem hi ſit habiturus.

Narro hîc particularia de quodam iti- re, quod feci ad Mundum Carteſii. itium ſumo ab occaſione, quam mi- obtulit ſors, commodo hoc iter fa- ndi, quæ ſcitu digna eſt. In toto de- rſu Hiſtoriæ, prout in eà incidens ad ıdigor, adcuratiſſimè expono, & quàm llum minimè ingrato modo, ma- am partem præcipuarum quæſtionum ilosophiæ Carteſianæ. Plures exami- in tranſitu, ac plurimas refuto ratio- , ut mihi quidem videtur, ſatìs intel- ibili, & quæ paſſim aliquid habitura novi. Conatus fui argumentum adeò ſte, & ſterile, veluti ſunt materiæ ilosophicæ, variegare & lætius red- re, tam diverſitate incidentium, quæ ſam mihi dant eas tractandi, quàm culiaribus nonnullis curioſis Hiſtoriam ctantibus Carteſianiſmi, atque etiam lloquiis quibuſdam ſatìs animoſis eo- m hominum, quos colloquentes ibi dire nemo moleſtè tulerit. Tertium nique & præcipuum quod hîc facio,

 eſt

eſt examen & diſcuſſio Syſtematis generalis Mundi D. Carteſii, & diſpoſitionis præcipuarum partium iſtius Mundi, qualem eam proponit in ſuo Libro Principiorum, ac in eo, cui titulus, *Tractatus de Lumine*, vel *Mundus Carteſii*, de quo tam crebrò loquitur in ſuis ad P. Merſennum Epiſtolis; verùm qui, non niſi eo jam vitâ functo, in lucem prodiit: atque ſpes mihi eſt, fore ut illâ diſcuſſione evidentem reddam propoſitionem quandam, quæ jam ſæpe prolata eſt, verùm quæ ſemper adparuit, & adhuc adparitura eſt, ut id quidem exſpecto, plurimis paradoxa. Scilicet, nullam umquam fere hypotheſin viſam Philoſophicam magìs incongruam, minúſque ſibi cohærentem, quàm eſt illa D. Carteſii, cujuſque concluſiones cum principiis minùs connectuntur.

Hæc propoſitio, inquam, ſemper viſa fuit paradoxa, quia adverſatur ideæ, quam vulgò formavimus iſtius Philoſophiæ. In eo conſentitur equidem, cùm nonnulla ejus principia non ſint, niſi meræ ſuppoſitiones ſine probatione, menti ab initio ſtatim ea non ſatisfacere; verùm contenditur, illis propoſitionibus ſemel receptis, reliqua omnia ſequi mo-

do

o adeò naturali, eo cum ordine & perſpicuitate, ut, evidentiâ conſequentiarum ſe diffundente, ut ita dicam, in principia, mens ex ſe ipsâ incipiat pro veritatibus habere, quæ ipſi fuerant antè propoſita, tamquam meræ ſuppoſitiones.

Verum hoc eſſe poteſt in nonnullis locis Philoſophiæ D. Carteſii, & præcipuè in iis in quibus agit de naturâ nonnullarum qualitatum ſenſibilium, de quibus difficile eſt alicui malè contentum eſſe, ſine præjudicio illa legenti. Falſum verò hoc crediderim de diſpoſitione generali Mundi ipſius, & de conſequentiis, quas inde deducit. Atque hanc præprimis partem Philoſophiæ ipſius examinare conſtitui penitiùs. Eſt illa ex omnibus minimè impetita. Plurimæ objectiones formatæ ſunt adversùs Metaphyſicam ejus; adversùs novas demonſtrationes, quas credidit ſe dare exſiſtentiæ Dei, diſtinctionis corporis & animæ; in ipſius Syſtema luminis; in regulas motûs, eaſque reflexionis, & refractionis. Verùm pauci ipſi moleſtiam creârunt ſuper Hypotheſi Vorticum, quæ tamen fundamentum eſt eorum omnium, quæ docet circa motum Plan-

netarum, fluxum & refluxum maris, levitatem, gravitatem corporum, ac totius ſyſtematis de Lumine, quod ipſi tantopere complacuit.

Non ſic intelligi velim, quaſi non complures ipſi motæ fuerint difficultates ſuper ſingulis iſtis articulis; etenim longè plurimi eum ſuper illo negotio petierunt. Dico autem tantummodo, rarò illa examinata in relatione ad hypotheſin generalem, cum quâ, quæcumque ſcripſit ſuper maximâ parte iſtiuſmodi argumentorum in ſpecie, planè non convenire probare conor. Atque in hoc præcipuè narratio Itineris mei novi quidpiam eſt habitura.

Cæterùm, ſi in hoc ultimo mihi res ſuccedat, quod ſolum fere me adegit, ut hocce argumentum tractarem, poſſem gloriari me moleſtiſſimum fuiſſe eorum, quos umquam habuit D. Carteſius, adverſarium. Quippe quod celebrem hunc hominem diſtinguit ab omnibus aliis Philoſophis, non eſt, quòd feliciter explicuerit nonnulla ſpecialia phænomena naturæ (hoc ipſi commune eſt cum plurimis aliis tam veteribus, quàm neotericis) verùm quòd genio ſatis vaſtæ extenſionis fuerit præditus, ad

ad formandum ſyſtema integrum Mundi adeò aptè confictum, ut ſupponendo principia ſimpliciſſima, & intellectu facillima, rationem reddere poſſit omnium eorum, quæ in naturà accidunt. Atque hoc eſt illud inceptum, ad finem cujus perveniſſe ipſum plurimi ſunt qui credunt, quod tantum ipſi honorem conciliavit ac tantam exiſtimationem. Monſtrare itaque, illud ſyſtema ſcatere contradictionibus, nullo modo cohærere, unam ſuppoſitionem aliam deſtruere, eſt ipſum, ubi validiſſimus videtur, impetere, & in parte omnium longè maximè ſenſibili vulnerare: in progreſſu hujus Hiſtoriæ adparebit, quid de his judicandum ſiet.

INDEX.

PRIMA PARS.

Narrationes diverſæ de Mundo Carteſii. Pag. 1
Colloquium Auctoris hujus Libri cum Sene quodam Carteſiano, & occaſio Itineris ſuſcepti ad Mundum D. Carteſii. 5
Propoſitum Carteſii inveniendi arcanum unionis corporis & animæ, eaque ſejungendi & reuniendi pro lubitu. 9
Progreſſus Carteſii in cognitione hominis. 10
Arcanum ſeparationis corporis & animæ repertum a Carteſio. 16
Uſus iſtius arcani. 19
Carteſius non eſt mortuus. 25
Arcanum unionis & ſeparationis corporis & animæ ante D. Carteſium cognitum. 31
D. Carteſius ſe confert in ſpatia indefinita, ſeque adcingit condendo cuidam Mundo huic noſtro ſimili. 32
Auctor invitatur a Sene Carteſiano; & a ſpiritu P. Merſenni ut viſum veniat condendum a Carteſio Mundum. Auctoris colloquium cum ſpiritu P. Merſenni. 38
Explicatio modi, quo ſpiritus adparent. 42
Caſus, qui accidit cuidam AEthiopulo ſervo D. Regii Medici Ultrajectini, primùm amici, dein inimici D. Carteſii. 46
Anima Auctoris ſe ſeparat a ſuo corpore ope arcani D. Carteſii. 52
Quâ ratione, ſecundùm principia D. Carteſii, quid-

quidquid in corpore fit, ubi animatum eſt, in eo fieri queat abſente animâ. 54

SECUNDA PARS.

Diſceſſus Auctoris cum Sene Carteſiano & P. Merſenno ad Mundum Carteſii. 57

Quid ſit aër, & ex quibus compoſitus partibus. ibid.

In quo conſiſtat fluiditas corporum liquidorum. 59

Motus ex ſe ipſo eſt perpetuus. 62

Falſitas axiomatis Carteſii, ſemper dari æqualem quantitatem motûs in mundo, ſi intelligatur vocabulum motûs juxta definitionem Carteſii. 65

De modo, quo Spiritus inter ſe colloquuntur. 68

Viatores in itinere obviam fiunt Socrati, Platoni, & Ariſtoteli, & quâ occaſione. 70

Colloquium ipſorum cum iis Philoſophis, & nonnulla ſpecialia ſatis curioſa Hiſtoriæ ipſorum. 73

Refutatio Methodi, & Meditationum Carteſii ab Ariſtotele. 78

Jocationes Senis Carteſiani, & P. Merſenni ſuper ſphærâ ignis, quam ſibi imaginatus eſt Ariſtoteles. 88

Contradictiones Carteſii. 92

Diſcipuli ipſius conati ſunt earum aliquam celare in Verſione Operum ipſius Gallicâ. 94

Lis olim intenta Carteſianis ob ſphæram ignis. 96

De-

Deſcriptio Globi Lunæ. 99
Cyranus Bergeracius deceptus à ſpiritu familiari Socratis in Globo Lunæ. 100
Inæqualitates, quas cernere eſt in Lunâ, partim maria ſunt, partim terræ diviſæ inter illuſtres maximè Mathematicos & Philoſophos, ut videmus in Tabulis iſtius Regionis. 101
Viatores deſcendunt ad Gaſſendum, & inde ad Merſennum. ibid.
Percurrunt Hemiſphærium Lunæ oppoſitum Telluri. 102
Introitus in Platonem iis negatur, & quare. 103
Ad Ariſtotelem perveniunt, quem cuſtoditum reperiunt inſtar urbis bellicæ, & quamobrem. 105
Auctor ibi reperit & agnoſcit ſuum Rectorem Philoſophiæ, veterem Profeſſorem Univerſitatis Pariſienſis. 106
Deſcriptio Lycei Lunæ. 108
Senex Carteſianus ibi agnoſcit Voetium, hoſtem infenſiſſimum omnium eorum quos umquam in Hollandiâ habuit D. Carteſius. 112
Peculiaria quædam de vitâ D. Carteſii, iiſque quæ ipſi acciderunt, dum in Hollandiâ eſt commoratus. ibid.
Character Voetii. 116
Viatorum cum Voetio colloquium, ad reunionem Peripateticorum & Carteſianorum. 123
Pacis conditiones exhibitæ Viatoribus à Voetio. 124
Continuatio itineris ipſorum cum duabus animabus Peripateticis, quas Voetius ipſis adjunxit comites uſque ad Mundum Carteſii. 127
Occurrunt animæ Hermotimi, Lamiæ Prætoris Ro-

INDEX.

Romani, & Doctoris Scoti. ibid.

Diſceptatio animarum Peripateticarum cum P. Merſenno & Sene Carteſiano, circa abſoluta accidentia. 131

Explicatio myſterii Euchariſtiæ a Carteſio defendi nequit. 134

Offendunt Cardanum in Globo Lunæ, in peninſulâ Deliramentorum, & rationes mœroris, quo ibi adficitur. 137

Reditus Viatorum ad Merſennum. 138

Leguntur ibi conditiones pacis oblatæ a Voetio, continentes refutationem plurimarum quæſtionum Philoſophiæ Carteſianæ. 139

Refutatio demonſtrationum Carteſii circa exſiſtentiam Dei a quodam Mandarino Chinenſi. 162

Adventus Viatorum ad Mundum Carteſii. 178

TERTIA PARS.

Recipiuntur Viatores a D. Carteſio. 180

Colloquium Auctoris cum D. Carteſio circa ſtatum in quo reperitur Philoſophia Carteſiana in noſtro Mundo. 182

Sententia D. Carteſii de famigerato illo experimento de vacuo adſcripto D. Paſchalio, cujuſque D. Carteſius ſe Auctorem eſſe contendit. 187

Quid olim cogitaverit de Libro de Sectionibus Conicis, conſcripto, ut ferebatur, a D. Paſchalio, ætate ſexdecim annorum. ibid.

De Hyperbolicis Elogiis Panegyriſtarum D. Paſchalii, & de Præfatione Libri de Æquilibrio

librio Liquorum. 188

Conatus D. Carteſii ad conciliandam famam ſuæ Philoſophiæ, ubi ille adhuc in noſtro mundo degeret. 195

Quâ ratione voluerit Jeſuitas in partes ſuas pertrahere, & deinde P. P. Oratorii, ac D. Arnaldum. ibid.

Decreta Congregationis Oratorii contra Carteſianiſmum & Janſeniſmum. 200

Bellum inter Malebranchium P. Oratorii, & D. Arnaldum. Character prioris. 203

Comparatio D. Arnaldi cum Archithalaſſo Chatillonio. 208

D. Carteſius Mundum ſuum condit præſentibus Viatoribus, & inter condendum explicat præcipua ſui Syſtematis loca. 217

Negotium faceſſitum Legatis ex Ariſtotele. 227

Reditus Viatorum, eorumque adventus ad noſtrum mundum. 244

Quo in ſtatu anima Auctoris ſuum repererit corpus. 245

Illa, utpote Anima Carteſiana, in Pineali glandulâ ſedem figit. ibid.

QUARTA PARS.

Zelus Auctoris Carteſiani facti erga progreſſum Sectæ, quemque teſtatur D. Carteſio quâdam Epiſtolâ, quam ad ipſum ſcribit ex itinere redux. 250

Reperit ſe urgeri ab induſtriis Peripateticis. ibid.

Argumenta vulgaria contra Syſtema Carteſii pro-

propoſita & refutata. 251

Falsò aliquid adſcribitur nonnumquam D. Carteſio, ut eò facilius queat refutari. 253

Motus materiæ non videtur impoſſibilis in Syſtemate Carteſiano. 256

Nova ratio probandi ejus poſſibilitatem. 258

Aliæ difficultates deductæ ex principiis ipſius etiam D. Carteſii, propoſitæ Auctori a Peripateticis, quarum ſolutionem rogat D. Carteſium. 267

Primum Argumentum. Ex principiis Carteſii probari, Solem & Stellas debere eſſe corpora opaca, inſtar Planetarum & Terræ. 267

Secundum Argumentum. Juxta principia Carteſii nos non debere videre Stellas, nec etiam ipſum Solem. 272

Tertium Argumentum. Secundùm principia Carteſii impoſſibile eſſe, ut terra habeat Vorticem ſuum peculiarem in magno Vortice Solari. 283

Conſequentia præcedentis Demonſtrationis, quod attinet Aſtronomiam, & Phyſicam. Luna non ampliùs debet circumagi circa Terram, nec Jovis circa Jovem Satellites. 295

Corpora gravia non ampliùs debent deſcendere versùs centrum Telluris, verùm ad Solem debent tendere. ibid.

Non daretur ampliùs fluxus, nec refluxus Maris. 297

Principium generale omnium effectorum Phyſicorum hujus inferioris mundi non ampliùs ſubſiſtit. 299

Variationes D. Carteſii, circa proprietates ſuorum

rum Elementorum. 302
Argumenta Phyſica, quæ imbecilla ſunt contra Copernicum, circa motum Telluris, valida ſunt adverſùs Carteſianos. 303
Propoſitiones ſummi momenti in Phyſicâ adlatæ ſine probatione, & ſuppoſitæ contra omnem veriſimilitudinem a D. Carteſio. 304
Auctor obteſtatur D. Carteſium, ut ad ipſum mittat ſolutionem omnium harum difficultatum. 306

EMENDANDA.

P. 15. l. 32. pœnas des. 18. 18. imprimit. 24. 1. adcuraté. 65. 26. immutabilitatis intereſt. 70. 20. quæ nunc *Liba*. 72 11. niſiob. *ibid*. 31. in iſthâc. 73. 31. & 32. illius ultrà quàm ipſius mei rationem habeo. 76. 11. omnino 82. 26. tenuis 83. 3. potuerit. 88 25. abſtinent Philoſophi. 92. 9 iſthâc. 25. Bourdinum. 31. animadverſiunculam. 34 Carteſii eſſent experti 96. 31. elaturum. 96. 18. exhibiturus. 99. 29 & 30. tantæ diametri, quantæ 100. 1. illuc. 121. 29. reconciliationis. 34. cúmque. 125. 26. id conceptum *dele ib* conſilium. 137. 7. talſis Horoſcopiis. 138. 14. elatus. 193. 18. in conventiculis. 145. 1. moleſta. 146. *ult.* de eo convinci. 149 13. & 4. illa. 152. 8. adhibens 152. 22. poſſe nos, 160. 14. alii durare mores ſolent. 163. 3. *dele τὸ* dederunt. 164 33. exſiſtentia. 166. 4. habitâ cavillationum eorum. 178. 5. ajo illi. 186. 10. vel fidem. 12 ſine. 188. 3. de eo. *in marg.* Tom. II. 196. a tritâ viâ qui 25 *τὸ* viam *dele* 28. dein rei caput. 205. 8. rei cardinem 217. 18. *dele τὸ* vi. 223. 25. quo non. 233. 281. Terram in eum. 234. 10. circumferentiâ ſuâ. 248. 33. puer quidam. 250. 6. communicâſti 7. devinxiſti. *ibid.* meumque 8. congeſſiſti. 255. 18. ope motûs. 220. 18. & 19. præditæ, aptiores. 286. 20. qui eâdem 287. 29. opponat. 298. 14. Phænomenon. 306. 19. mea. 2. 24 ſecernit *ibid*. 30. teſſellati. p. 10. 25. eidem innixi. 28. alios hoſce. 17. 10. illum. 21. 7. agunt. *ult.* quod. 23. 25. hypotheſi. 27. 16. & me. 32. 24. oſſeæ. 41. 25. hirundinum, quæ. 46. 6. reperiuntur. 84. 33. mole. 87. 3. ille. 96. *dele quæ in margine*. 108. *in marg.* ſuper tertiâ 125. *penult* ab eâ. 132. 25 propiores. 233. 27. in Polos. 136. 23. propiores. 151. 12. *dele τὸ* ſe.

ITER

ITER PER MUNDUM CARTESII.

PARS PRIMA.

IN Mundo Carteſii haud aliâ ratione res ſe habet, ac in Regionibus nuperè detectis, de quibus narrationes exhibentur diverſæ planè, & nonnunquam ſibi invicem e directo contrariæ. Vixdum novi iſtius Mundi percrebuerat fama, cùm immenſa Gallorum, Anglorum, Belgarum multitudo, animum àdjecit ad illum viſendum. Hiſpani, quantumvis inveſtigationi novarum terrarum dediti, cùm viderent illìc non agi de Auri, vel Argenti fodinis, nec de Indigo, neque de Zingibere, videbantur exiguo novum hunc mundum in pretio habere. Atque id non magnopere dolebant, qui plurimam huic navârant operam, quippe qui exiſtimabant eſſe cur timerent, ne Inquiſitio ipſis negotium eò loci faceſſere adgrederetur. Etenim inter alia iſthoc in Mundo, Tellus circa Solem agitur, æquè ac in Copernici. Atque conſtat Carteſium

hâc occaſione non ſemel ad animum revocâſſe miſeri Galilæi infortunium. Imò auſim dubitare, an non hæc ratio fuerit, cur tanto molimine incubuerit probando illi paradoxo, Tellurem ſcilicet quieſcere, quantumvis à materiâ Vorticis Solis, circa Aſtri illius centrum rapiatur. Quidquid ſit, plurimi ex iis, qui ſibi videntur optimè illam regionem perluſtrâſſe, eam deſcripſerunt, verùm adeò diverſâ ratione, ut vixdum ſcias, quid de eo cogites. Nonnullis ſi fidem adhibeas, non eſt Mundus, ſed Chaos: omnia illic abſque ordine, & confuſa. Nemo eſt, qui ſe illîc movere queat. Nec lumen datur, nec colores, nec calor, nec frigus, nec ſiccitas, nec humiditas. Plantæ, animalia ibi non vivunt. Non tantùm ibi licitum eſt, verùm etiam præcipitur de omnibus dubitare. Audacter profectò eo loci diſputatur, num homo ſis. Ac licèt eâdem, quâ reliqui homines, facie gaudeas, licèt ex carne & oſſibus, ut illi, conſtes, licèt incedas, edas, dormias, &, ut uno verbo dicam, omnes functiones naturales hominis peragas, ibi tamen licet de eo dubitare, donec, poſtquam collocutus cum iis & ratiocinatus fueris juſtâ cum rationum ſequelâ, convincantur te ratione præditum eſſe.

Carteſ. Tom. 2. Epiſt. 43. 75. Part. 3. Princ. n. 26.

Genus hominum adparet ſuperbum, vituperationi deditum, nullius erga antiquitatem reverentiæ. Præ cæteris & ubique Ariſtotelem malis modis mulcant, pro garrulo habentes, & magno nugatore. Atque, ut ajunt, non ſatis Chriſtiani ſunt, nec ſatis Catholici. Circumferuntur apud eos principia periculi

culi plena circa res, quæ ſanctiſſima noſtra myſteria ſpectant. Haud ſatis perſpicuè liquet, quid credant de noſtri Mundi creatione, productione materiæ; providentiâ Dei, cui nihil aliud curæ fuiſſe oportuit, niſi ut exigui cubi materiæ circa centra ſua in gyrum agerentur. Reliqua enim omnia abſque illo peragi potuere.

Alii contrà perhibent, nihil hoc mundo meliori ordine diſpoſitum. Omnia illìc mirè conſpirare. Cuncta peragi juxta regulas ac leges naturæ. Eſſe equidem liberatum plurimis accidentibus, qualitatibus, ſpeciebus intentionalibus, velut inutili ſupellectile, quâ noſtrum impedierunt Philoſophi. Attamen falſum eſſe, ſenſus eaſdem, quas in hoc, in illo non recipere impreſſiones. Eo diſcrimine, quòd illarum cauſſæ notiores ſunt & meliùs explicantur.

Religionem quod ſpectat, nil facilius videtur quàm Apologiam facere illorum hominum, quibus fortè non ſine temeritate lis movetur in re tanti momenti. Quis eſt, qui inſigniorem Dei habeat ideam, quàm Carteſius habuit? Ideam quam non formavit ex creaturis viſibilibus, quæ rudis tantùm delineatio ſunt Entis illius infinitè perfecti; verùm quam in ſeipſo invenit Mens ejus, & per quam ipſi liberum non fuit dubitare de exſiſtentiâ Entis cujuſdam ſupremi, licèt cœlum non exſtitiſſet, nec terra, nec corpus, nec alii præter ſuum ſpiritus. An Dei potentia ulteriùs, quàm ille protulit, proferri poteſt. Deus, juxta illum, poteſt efficere, ut duo & tria non ſint quinque, ut quadratum non

habeat quatuor latera, ut totum non ſit majus ſuâ parte, atque reliqui omnes Philoſophi hæc omnia abſque hæſitatione ſupra poteſtatem Dei eſſe contendunt. Jam verò Auctor opuſculi cujuſdam, cui titulus, *Epiſtola ſcripta ad eruditum Jeſuïtam*, nonne oſtendit, qui primo Geneſios capite deſcribitur, Mundum eſſe Carteſii? Alius quidam liber nuper in Hollandiâ prodiit, cui titulus *Carteſius*
P. 37. *Moſaïſans*, qui idem adfirmare conatur. Auctor Libri de *Influentiis Aſtrorum* finem Mun-
Nov: di explicat opè hypotheſeos Carteſianæ. Scho-
Litt. M. tanus in novâ quâdam Apologiâ, quam edi-
Aug. 1687. dit pro Carteſio contra eos, qui id egerunt, ut ipſum Atheïſmi inſimularent, enarrat nobis, quantâ fuerit erga Religionem reverentiâ, adfirmans inter rationes, quæ ipſum moverunt ad redigendas in numerum ſenarium ſuas meditationes, fuiſſe numerum ſex dierum, quos Deus creationi Mundi inſumſit.
Ep. Cart. Quod ſi fidem habeamus Patri Merſenno,
T. 2. erudito & celebri Minimo, familiariſſimo Carteſii, nil magìs Chriſtianum videas, nil quòd æquè placidè amorem inſpiret Dei, quàm Philoſophia Carteſiana. Denique nihil eſt quod pias magìs cogitationes ſuggerat, ac Epiſtola Carteſii ad Doctores miſſa Sorbonæ, ubi ipſis ſuas dedicaret Meditationes; atque hoc adeò verum, ut exiguo abhinc tempore, meorum amicorum aliquis, in hujuſmodi rebus non admodum verſatus, neſcio quo caſu apud me cùm legiſſet illam Epiſtolam, qua adficiebatur, & dehinc conſpecto titulo Meditationum in limine operis, me rogârit, ut ipſi commodarem librum illum ſpiri-

ri-

ritualem, quo pias ſuas cogitationes per ſanctam Hebdomada occuparet.

Tantus ſententiarum diſſenſus, ac adeò contrariæ de iſto Mundo narrationes, alioquin tam celebri, excitârunt me, atque adegerunt, ut per me ipſe de veritate vel falſite eorum, quæ ferebantur, inquirerem. Deerat dux, qui viam præmonſtraret in regione, ubi nec pedibus itur, nec equo vehi, nec navigio, nec curru licet, nec mari, nec terrâ datur iter facere. Verùm poſt exiguum temporis ſpatium, quàm ad hoc iter animum adpuleram, fortè fortunâ nactus ſum occaſionem, quâ opportuniorem ſperare non potuiſſem, illud faciendi ſummâ cum voluptate & commodo.

Paucis abhinc menſibus cùm degerem in oppido quodam Provinciali, amicitiam contraxi cum ſene quodam Octogenario fere, haud ignobilis ingenii homine, cuique olim multum cum Carteſio interceſſerat negotii. Quâ re dum pro illius Philoſophi doctrinâ ſupra modum contendere cœperat, dumque in eo totus erat, ut methodum opinioneſque Scholaſticas exagitaret, contraque infantiæ declamaret præjudicia, perpetuiſque Carteſianam Philoſophiam elogiis celebraret, adeò ſeſe iſti mancipaverat, ut nihil in Philoſophicis ferret, quod vel tantillum ab eâ abluderet. Aliquando dum agebamus de iſtiuſmodi rebus, ipſum percontatus ſum, an adhuc ipſi intercederet aliqua familiaritas cum nonnullis Carteſianis alicujus notæ. Non, reſpondet, valere dixi omnibus, qui iſtam Sectam profitentur. Non video illos æquè addictos

eſſe, ac primi Carteſiani, magno iſti homini. Unuſquiſque pro lubitu ſibi ſyſtemata format, ac liberè addit, vel demit, quodcunque placuerit, illi, quod formavit Carteſius, undiquaque perfecto, quod attingere planè eſt corrumpere. Poſt illuſtris Clerſelerii mortem ad neminem litteras do. Sincerum illum Carteſianiſmum cum ipſo ſepultum equidem crediderim.

Ad hæc ego, lepida profectò capita eſtis. Omnes Præfationes veſtrorum Librorum ſcatent declamationibus, & cavillationibus illorum, qui cæcâ mente Auctoris cujuſdam placitis adhærent, quique numquam ab illo diſſentire præ ſe ferunt. Videmini cum aliis neotericis Philoſophis junctis viribus bellum indixiſſe Sectatoribus Ariſtotelis, ad faceſſendum iis eâ ſuper re negotium. Atque, interea dum iis hoc objicitis, in eundem inciditis errorem, utpote qui adparetis multis modis impotentiùs amare Carteſium, quàm illi Ariſtotelem. Equidem ego non poſſum non laudare hâc in re Carteſianos paulò mitiores, qui tibi bilem movent. Quòd ſi ratiocinium ipſorum alium iis tramitem monſtret ab illo, quem ſecutus eſt Carteſius, cur iis non permittitis illum ſequi. Ariſtoteles longâ poſſeſſione regnum in Philoſophiâ tenebat. Longa ſeculorum ſeries titulum Principis Philoſophorum ipſi confirmaverat. Carteſius verò rebellione quâdam in Principem ſuum inſurrexit. Quodnam jus majorem & ſubmiſſiorem exigit obedientiam erga illum, ac ipſe præſtitit Ariſtoteli?

Reſpondet ille, veritas & ratio manife-

ſtò

ſtò pro Carteſio militant. En, ajo, primum omnino rebellium prætextum, æquitatem cauſſæ ſuæ adſerere, ac oſtendere, in hiſce agi de bono Reipublicæ. Nihilominus, adjungo, hâc in re neutri addictus parti ſum, ultrà quàm tibi videor. In animum induxi penitus cognoſcere Philoſophiam Carteſianam, cujus hactenus rudis & confuſa ſatìs mihi obverſatur cognitio, utpote qui numquam ipſi ex ipſo operam navaverim Carteſio, ſed e Libris tantùm diſcipulorum ejus, prout in lucem prodiere, idque abſque ullâ methodo. Atque quia ab hâc regione brevi cogor diſcedere, ac proinde tuis auxiliis hâc in re diu frui non datur; rogavi te, numquid adhuc litterarum vel amicitiæ foveres commercium cum nonnemine ex induſtriis Carteſianis Pariſienſibus, cum quo mihi notitiam conciliare poſſes, quique vellet docilem adeò, ac ego me exiſtimo, diſcipulum rectè informare.

His auditis mirum quanto delibutus gaudio meus ſenex. E veſtigio omnis illi præ lætitiâ micare frons. Simul te novi, dicere, manum amiciſſimè prehendens, ſemper in te conſpexi inſignem amorem veritatis. Optima eſt iſthæc diſpoſitio, ac prima quam Carteſius ad eam cognoſcendam requirit. Ne angaris, reſtant tibi bini menſes, per quos hîc moreris. Hoc temporis res indiget. Brevi de Carteſii negotiis certior fiam: ac rationes inibimus, quæ magnopere iter tuum contrahant.

Tum ego, de Carteſii negotiis tu certior fies? hui! Quadraginta fere anni ſunt,

ex quo mortuus eſt. Dolerem equidem, reſpondet ille, hæc mihi excidiſſe coram alio, verùm de induſtriâ protuli, ut tibi ſalivam moverem ad diſcendum ex me illa, quæ pauculi nôrunt, quæ primo intuitu mira tibi videbuntur, quorumque cognitio tantillo temporis ſpatio ad optatum te finem perductura eſt. Itaque attentas mihi aures præbe.

Carteſius, pergit meus ſenex, haud ſecus ac priſci illi Philoſophi, ſectæ alicujus anteſignani, non omnia ſuæ Philoſophiæ myſteria expoſuit. Quædam eorum ſibi ſervavit, nec niſi cum familiariſſimis communicavit, e quorum eſſe numero mihi tum gratulabar. Particularia quæcumque inventa, quæ ipſi ſuppetebant, quæque exiſtimavit conducere vel in Ethicis, vel in promovendâ nonnihil naturalium rerum cognitione, publicæ luci non invidit. Verùm prudentiæ fuit quædam ſupprimere, quibus quis præpoſterè poſſet uti. Immortalitas animæ locum habuit inter ea, circa quæ ita ſe debere gerere ſibi perſuaſit. Procul omni dubio maximi in Philoſophiâ momenti eſt. Qui illam probaverit methodo clarâ, facili, intelligibili, quæque mentis adſenſum evincat, nullo relicto ſcrupulo, næ ille præcipuum Libertiniſmi, ac Atheïſmi fundamentum everterit. Atqui id perfecit Carteſius demonſtrans diſtinctionem corporis, & animæ humanæ, ex ſolâ ideâ clarâ & diſtinctâ quam habemus duarum iſtarum entis ſpecierum. Iſta demonſtratio optimam & utiliſſimam admirandarum Meditationum ejus partem conſtituit. Ac ſummopere mirabatur

Medit. Carteſ.

batur

batur tanto illam oppugnari ardore, præprimis a D. Gaſſendo, contra quem, rogatâ tamen veniâ, fortè bilis ipſimet nimiùm etiam movebatur, ac nimiùm invehebatur hoc ſuper negotio. Hocque anſam dedit tum temporis nonnullis notandi, & ſic ſatìs ex veritate, ut inter nos dicam, ſcilicet Carteſium non ita joci patientem eſſe. Satìs tamen ſe continebat in illo certaminis ardore, ne ſuccumberet lubidini, quæ ipſum non ſemel agitabat propugnandi demonſtrationem ſuam experientiâ, metuens, ne periculoſis urgeretur illa conſequentiis. Atque hoc eſt illud, quod te docere inſtitui, myſterium. *Object. 5. Reſp. ad Object. 5.*

Moris ipſi erat, ut notum eſt, id agere ut confirmaret experientiâ veritates, quas ſolo mentis ſuæ lumine detexerat. Sperabat quippe, cùm demonſtrâſſet evidenter adeò diſtinctionem corporis & animæ, eò perventurum ſe, ut in arcanum eorum unionis penetraret, ac dein inveniret artem illa ſeparandi reuniendique pro lubitu. Quæſtiones quas ipſi proponebat hac de re illuſtris ejus diſcipula Princeps Palatina Eliſabetha, & difficultas, quæ occurrebat exhibendi ſolutiones comprehenſu faciles, tandem animum ejus induxerunt ad iſti rei incumbendum. Erat cùm me hujus participem conſilii faceret, cum nonnullis aliis ex ſuis amicis. Chimæra nobis videbatur. Atque me memini per jocum ipſi dicere, quòd putarem unicum tantùm id efficiendi modum proponi poſſe, ut nempe inveniretur notiſſimum illud Mercurii Caduceum, cujus auxilio dicitur Deus ille juſſu Jovis olim uſus ad ſeparandum à corpori- *Ep. 29, 30. Tom. 3.*

bus animas, eaſque jungendum denuò poſt certum annorum numerum novis corporibus, juxta principia Metempſychoſeos Pythagoricæ.

Hæc tamen non obſtitere, quin Carteſius id meditaretur, felicem adventum non admodum ſibi pollicitus; ſed & exiſtimans non eſſe planè deſperandum. Hinc ille exactiùs, quàm umquam factum fuerat antè, corpus humanum conſiderare, indeque occaſionem nanciſci detegendi plurima perpulchra in Anatomicis. Prima concluſio, quam deducebat ex ſuâ, quam habebat, animæ idea velut entis perfectè indiviſibilis, erat, illam non eſſe per totum extenſam corpus, ut vulgò docebatur. Monſtrabat falſitatem primariæ rationis, quâ freti hactenus ſeſe hoc in præjudicio homines confirmaverant. Scilicet quocumque corporis loco pungamur, animam noſtram dolorem ſentire. Ergo, dicebant Philoſophi, per totum diffuſa corpus eſt. Imbecillitatem hujus ratiocinii probavit experientiâ duplici, quæ manifeſtò evincit, nos poſſe dolorem ſentire, ac impreſſiones objectorum, iis in locis, ubi anima noſtra non eſt. Prima eſt eorum, quibus amputatum brachium, quique ſæpe ſentiunt dolores eo in loco, ubi digiti exſiſterent, niſi brachium foret reſectum, licèt digiti ipſorum non ampliùs adſint, nec proinde anima. Altera eſt cæci illius, quem ita crebrò exempli ergo adfert, qui ob defectum oculorum baculo ſuo utitur ad diſtinguendas figuras & qualitates plurimorum objectorum. Qui ope baculi dignoſcit, ſentiatne aquam, vel terram, vel herbas; an tabulatum ſit po-

litum;

litum vel aſperum, &c. Etenim certum eſt illum ope baculi hæc omnia ſentire, licèt anima baculo ipſius non inſit. Oſtendit itaque, cùm impreſſio objectorum in noſtrum corpus nequeat conſiſtere niſi in agitatione fibrarum & nervorum ab omnibus partibus per id diſperſorum, haud neceſſe eſſe, ut anima ſit extenſa juxta ductum iſtarum fibrarum & nervorum. Sufficere verò, ad percipienda objecta, illa agitatio ut poſſit communicari cum aliquo loco præcipuo, ubi ſedes ſit animæ: pari ratione, ac motus productus ab occurſu corporis duri, molliſve, lævis aut aſperi, communicatur cum manu baculi auxilio. Veluti baculum extenſum à manu ad corpus quod tangit, menti inſervit ad percipiendas corporis iſtius qualitates; ita & nervos extenſos exempli gratiâ ad manum uſque poſſe ipſi opitulari in percipiendis qualitatibus corporum à manu tactorum. Tandem dolorem, quem in digito ſentit, ubi igni illum nimis propè admovet, non magis ſupponere illam per ſe præſentem eſſe illi corporis ipſius loco, quàm incommodum digiti, de quo perpetuò conquerebatur puella quædam, cui abſciſſum brachium ipſâ nil ſentiente, ſphacelatum enim; quippe illa iſthoc non adficiebatur incommodo, niſi quoniam humores, aliave alia cauſſa, agitabant brachii ejus nervos, antea qui extendebantur ad extremam uſque manum, atque pari agitabant ratione, ac requireretur ad ipſi ſuppeditandum ſenſum doloris in digito, antequam brachium foret amputatum. *Ep. Carteſ.*

Hoc primo fundamento poſito, deductáque inde conſequentiâ tanti momenti, tamque vero ſimili, ex principio adeò abſtracto, animæ ſcilicet indiviſibilitate, in proclivi fuit probare illam ſedem ſuam non alibi, quàm in cerebro poſſe habere. In eo omnes deſinunt nervi, vel potiùs inde omnes originem habent. Eo in loco Philoſophi, ſi pauculos excipias, ac inter alios Helmontium, cui animæ ſedem ventriculum ſtatuere quâ neſcio ratione in mentem venit; eo, inquam, loco, Philoſophi vulgò docent reperiri, quem adpellant ſenſum communem, h. e. unicum illum locum, ubi anima poſſit percipere omnes illas varias impreſſiones, quas objecta externa in ſenſus perficiunt. Verùm cum cerebrum ſic ſatìs extenſum ſit, cùm præter ſubſtantiam illam mollem & albicantem, quam cerebrum propriè vocamus, membranis gaudeat, glandulis, ventriculis vel cavitatibus, haud pronum erat præciſè definire locum, in quo anima locata reperitur Carteſius attentè perpendit varias Philoſophorum & Medicorum eâ de re ſententias; & poſt refutatam ſolidè maximam illarum opinionum partem, innixarum duntaxat admodum infirmis principiis, evidenter concluſit, ad ſedem animæ tres requiri conditiones. Prima eſt, ut illa pars ſit unica, ut actio ejuſdem objecti, quod ſimul adficit bina ejuſdem ſenſûs organa, unicam tantùm faciat in animâ impreſſionem, nec duos ex. gr. pro uno oſtendat homines. Secunda, ut ſit admodum propinqua origini ſpirituum animalium, ut illorum ope faciliùs noſtra membra moveat. Tandem tertia, ut

Tom. 1. Ep. 36.

ut ſit mobilis, quò anima immediatè illam movens poſſit determinare Spiritus animales ad influendum in hos potiùs, quàm illos muſculos. Atque has conditiones reperire non eſt, niſi in exiguâ quâdam glandulâ, quæ *Pinealis* adpellatur, vel *Conarium*, locatâ in medio omnium concavitatum cerebri, ſubfultâ & circumdatâ arteriis *Choroideum* conſtituentibus *plexum.* Illum verò plexum eſſe originem ſpirituum poſſumus adſerere, à corde per arterias carotides adſcendentium, & in iſtâ glandulâ formam ſpiritûs animalis adeptorum, (dum ſeſe extricant ex aliis particulis ſanguinis craſſoribus) & inde currere occipientium ad varios omnes illos noſtri corporis muſculos, partim dependenter, partim independenter ab animâ noſtrâ, eum ad modum quem naturæ inſtituit Auctor, reſpectu habito ad finem, quem ſibi in creatione hominis propoſuit.

Huc uſque ratio Carteſium perduxerat; ac fortean hic ſubſtitiſſet, niſi fortuna, vel potiùs Dei bonitas, qui ſæpè laude dignam illam probat curioſitatem eorum, qui operam dant conſiderandis ſtupendis Operibus divinis, ipſi ſupra vulgarem modo revelâſſet id quod quærebat arcanum. Fuitque hoc procul omni dubio ex maximè mirandis illis mentis Philoſophantis deſideriis, quibus celebris Auctor nomen imponit naturalium precum, quæ nunquam non exaudiuntur, ubi eas comitatur prudens & exactus noſtræ rationis uſus. *P. Malbranche.*

Quòd ſi adfirmo, addit ille, Carteſium crebræ obnoxium fuiſſe exſtaſi, fidemne mihi

habiturus es? quid ni, dico? hoc creditu nequaquam difficile de homine ſpeculationibus adeò dedito, nec res exemplo caret. Quis non inaudivit de iis exſtaſibus, quibus celebris ille Archimedes nonnunquam abripiebatur ob intentam operam, quam navabat Mathematicis meditationibus, quarum fuit, quæ necis ipſi exſtiterit cauſſa. Captis ab exercitu Romano Syracuſis, ubi degebat, interea dum figuras delineat in muſeo ſuo tantâ cum mentis contentione, expugnatæ urbis tumultus ipſum ad ſe revocare non potuit: & antè confoſſus vulneribus ab iis qui domum ejus violarant militibus, quàm illos adeſſe cognoviſſet.

Ad hæc, cernes, aït, alto pectore ducens ſuſpiria, ex iis quæ dehinc narraturus ſum, exſtaſes Carteſio non minùs funeſtas fuiſſe, licèt alterius forent commatis, & cauſſam longè diverſam agnoſcerent. Etenim ubi Egmundæ commoramur, exiguo Hollandiæ oppido, in quo lubentiſſimè degebat, ſummo manè Hypocauſtum ingreditur, quod ſibi exſtrui curaverat ad normam illius, in quo philoſophiæ operam dare apud Germanos inceperat. Atque ibi pro more meditationi incumbit. Bihorio elapſo & ego me illuc confero: reperio innixum menſæ, prono capite, manu ſubfulto lævâ, quæ tenebat pyxidem Tabacariam, dextrâ naſo proximâ, quaſi Nicotianæ pulverem ſumeret. Cæterùm immobilem, ac apertis oculis. Ab intrante ſtrepitus excitatus nec minimùm loco moverat. Quapropter patienter ipſum per mediam fere contemplatus ſum horam iſthoc

in-

in ſtatu, illo inſcio. Interea aliquid fit, quod cum ſtupore miror. In coronâ lignei integumenti Hypocauſti aderat phiala aquâ Reginæ Hungariæ repleta: percellor, cùm illam video inde, nemine attingente, deſcendentem, & per aëra tendentem verſùs Carteſium. Suber, quo obturata fuerat, per ſe ablatum, phialaque ſeſe adplicans naſo ipſius, aliquantum temporis ibi manſit ſuſpenſa. Fateor me tum temporis ſuſpicatum, ne magicum quodpiam ſubeſſet negotiis noſtri Philoſophi, aliquiſque ſpiritus familiaris, non abſimilis illi Socratico, ipſi inſpiraret cuncta illa pulchra, quæ quotidie ex ipſo audiebamus. Verùm poſtea liquidò mihi adparuit hujus nihil omnino adeſſe; ac te etiam quæſo, ut ſuſpendas judicium tuum. Poſt tantillum temporis ſpatium expergefactus, veluti de improviſo, ac manu menſam percutiens, tandem jam nunc, inquit, *teneo*. Poſthæc momentulo adhuc meditari viſus. Inde e veſtigio ſurgens hilaris admodum e ſede ſuâ, me non viſo, gemino tripudio medium feriit cubiculum, perpetuò repetens: *teneo*, *teneo*. Riſu ego emori ad conſpectum hujus motûs, cui non adſueverat Carteſius, ingenio utpote ſerio & melancholico. Ille me audito & viſo ſimul, primò rubore ſubfundi, hinc in cachinnum haud ſecus ac ego prorumpere. Cumque ipſum urgerem, ut mihi cauſſam gaudii aperiret: non tam citò ſcies, inquit, ut pœnas dies, quia immodeſtiùs, quàm Philoſophos decet, me gerentem es conſpicatus. Simul, in quo verſabamur, cubiculum relinquit, aliud petens conclave, quod ingreſſus

ſus obturavit. Elapſo tamen biduo myſterii ſui me fecit participem.

Extra urbem obambulabamus, & de variis variè diſſerebamus, cùm ille, igitur, licèt ad Mercurii caduceum non refugerim, arcanum reperi non tantùm unionis corporis & animæ, verùm etiam ea ſeparandi, ubi volupe fuerit. Jam experimentum feci. Atque hic fructus fuit meditationis, in quâ me nudius tertius deprehendiſti; cumque tibi viderer ſubitò expergiſci, ab ulteriori, quàm quis cogitet, redux eram itinere. Hæc ille tam ſeriò, tantáque confidentiâ mihi dicere, ut vera loqui videretur. Nihil eſt quod tibi impedimento ſit, addebat, quin perſuadearis de veritate illorum, quæ tibi narrare inſtituo, & experimentum capias. Omnium, quæ reperire eſt, longè pulcherrimum hoc arcanum. Paucorum omnino fidei mandare conſtitui. Verùm ille zelus, quo me hactenus proſequi viſus es, non ſinit ut te quidquam celem. Pergebat porrò locum reſpondendi ad illam humanitatem non dans, & omnem progreſſum neutiquam vulgaris iſtius caſûs mihi enarrabat.

Ajebat, ſe, poſtquam ſe adplicâſſet perpendendæ ſummâ cum attentione quæſtioni ab Principe Eliſabethâ ſibi propoſitæ circa unionem corporis & animæ, & animo revolviſſet reflexiones quas variis temporibus eâ in re fecerat, fervente illâ ſupra vulgarem meditatione, ſeſe ſubitò eo in ſtatu reperiſſe, quem nunc, dum mecum loquitur, præſentem ſibi ſiſtere, non niſi confuſâ quadam ratione poterat: quemque non ſatis diſtinctè

per-

percipiebat, niſi ubi actu in eo verſabatur. Quidquid fuerit, fuiſſe animi deliquio non ita abſimile; quandoquidem omnium aberat ſenſuum uſus, viſus, auditus, omnis planè ſenſus impreſſionis objectorum externorum (niſi ſummopere foret vehemens) & tum iſte ſtatus deſinebat: verùm in eo ab animi deliquio ſatis differre, quòd anima tum ſe ipſam ſentiret, & perciperet ceſſationem functionum ſuarum organicarum, quod in animi deliquio non accidit. Quòd ipſa tum magno numero ſit inſtructa illarum cognitionum immaterialium, vel merè ſpiritualium, de quibus nobiſcum aliquando locutus fuerat, verùm quòd illas haberet modo quodam perfectiori, & vivido magis, quàm ubi ipſius attentio turbatur imaginationis phantaſmatis, perpetuò ipſam interpellantibus. Tunc temporis plures unico momento detegi veritates, quàm ſpatio decem annorum juxta methodum vulgarem; illamque veritatis cognitionem menti ſuppeditare gaudium adeò purum & integrum, ut nil verius, eo quod dixit Ariſtoteles, poſt ſimilem fortean experientiam, perfectam hominis in hâc vitâ felicitatem, ſi aliqua eſt, certè conſiſtere in contemplatione Dei, rerumque naturalium.

At fatebatur, ſe perfectum illud gaudium non ſenſiſſe priùs, quàm planè perſuaſus fuerat de illâ re, quæ mentem ejus tum occupabat. Idque momento fiebat. Nec tantùm cognitione, verùm & ſenſu gaudebat quodammodo veritatis plurimarum rerum, de quibus hactenus cogitaverat, ac evidentiæ idearum quas ſibi formaverat eſſentiæ corporis & animæ;

mæ ; videbat illam animam locatam in ſuâ pineali glandulâ, ut conjecerat, unionem animæ & corporis nihil minùs eſſe, quàm potentialem, vel chimæricam potiùs illam extenſionem, quâ per omnia diffuſa membra perhibetur: nihil minùs quàm *modos* illos imaginarios, quorum eſt in ſcholis uſus, ad confundendum Ideas puerorum. Tandem caput rei fuit, quòd videret unionem illam reverâ eſſe tantummodo actuale illud commercium, & reciprocam concordiam, quæ animæ cum corpore intercedit. Commercium in eo ſitum, quòd nervi diffuſi per totum corpus animæ opportunitatem exhibeant ope agitationis ſuæ cognoſcendi diverſimodas impreſſiones, quas externa objecta in ſenſus peragunt, & quòd dein anima determinet, motu quem imprimi immediatè pineali glandulæ, in quâ omnes deſinunt nervi, ſpiritus animales ad influendum variâ ratione in muſculos, ut in corpore alii producantur motus, quos ipſi conciliare voluerit, præcipuè qui ad illius requiruntur conſervationem.

Poſt hæc, proſequitur ſenex meus, Carteſius adjunxit, quidquid ipſi acciderat hâc occaſione, ac reliquas ſuas ſuper his reflexiones. Primaria harum fuit, quòd ipſius animâ iſthoc in ſtatu jam non percipiente motus, quos externa objecta in ipſius corpore producebant, ac proinde illo commercio, quod unionis conſtituit eſſentiam, interrupto, illa ſeſe contemplari potuerit velut in ſtatu ſeparato, licèt in conſueto adhuc degeret domicilio, quippe illa cùm localis præſentia non niſi minima ſit pars unionis cum corpore.

It a-

Itaque illam deſiderium cepit ſeſe corpori ſubducendi, ac ad momentum videndi, quid iſthâc fieret ſeparatione. Vixdum illa voluerat, cùm hoc fieret. Atque denuò experiebatur, quod crebrò prædixerat, ſi machina corporis ſanis omnibus frueretur liberiſque organis, adeſſetque in corde & ventriculo is, qui vulgò in iſtis reperitur, calor; circulationem ſanguinis, filtrationem humorum, functiones cunctas naturales, omneſque, qui in nobis fiunt, motus, inſciâ noſtrâ animâ, peractum iri in hac machinâ, non ſecus eâ abſente, quàm præſente. Imò accidit, cùm illa contemplaretur, quid ſuo in corpore fieret, paſſus aliquot ab illo remota, ut muſca faciem perſtringeret. E veſtigio manus illum verſùs locum delata muſcam abegit eâdem ratione, ac ſi præſens adfuiſſet anima. Adeò verum eſt maximam motuum corporis noſtri partem, quos animæ adſcribimus, ſolâ machinæ diſpoſitione fieri.

Anima hæc, antequam longiùs à corpore recederet, ſæpiùs illud ſubiit denuò, ſæpiùs reliquit, dumque ex ejus diſpoſitione judicat, ſe abſque periculo manifeſto poſſe ad tempus ab illo abeſſe, longinqui ſatis itineris ſuſcipiendi aleam jacit. Hinc in Armoricam Britanniam ad conſanguineorum ſedes ſe confert, dein Lutetiam ad domum nonnullorum ex amicis ſuis. Angebatur ibi, quòd peſſimè de religione ſuâ ſentirent. Regio, in quâ Carteſius habitare amabat, & quædam falſæ conſequentiæ ex ipſius deductæ principiis, temerariis id genus judiciis anſam dederant. Nihilominùs verum eſt ipſum ſem-

per.

per vixiſſe, & ex hoc mundo deceſſiſſe optimè Catholicum.

Cæterùm, quod laudes in iſtiuſmodi peregrinationibus, quas anima ſejuncta à ſuo corpore obit, unico minuto conficit, ſi velit, tria vel quatuor milliaria: ita ut anima Carteſii Egmundâ profecta ad ſeſqui ferè octavam, integram ferè emenſa fuerit Galliam ſeſquihoræ ſpatio, & redierit circa decimam.

Dî boni, mi ſenex, tum ego dicere, quantopere id uſu venit illis, qui tam impotenter illam regionem luſtrare cupiunt. Potes, reſpondet ille, avido tuo deſiderio ſatisfacere; verùm totum audi.

Carteſii anima ex Gallico itinere redux, corpus ſuum reperit eodem fere ſitu, quo reliquerat. Verùm nondum planè contenta erat. Viam ignorabat, quâ ad ſtatum, in quo ſe verſari comperiebat, perveniſſet. Videbat caſu illud factum, ac fortè, ſi ſemel corpori ſuo reuniretur, numquam fore ut ab eo ſejungi poſſet, niſi fatali horâ adpropinquante. Attentè itaque conſiderare adgreditur corpus ſuum, ac conſtitutionem omnium organorum, animadvertit nervos ſenſui inſervientes, eoſque qui functionibus miniſtrant naturalibus, velut motui cordis, circulationi ſanguinis &c. omnino diverſimodè ſe habere. Hos admodum tenſos videt, judicatque hanc ob rationem fortè ſpiritus animales facilè communicari cum muſculis, in quibus illi nervi uniuntur, ac poſtea ſufficere ſuſtentandis continuandiſque motibus naturalibus, quos percipit anima, ubi corpori uni-

ita eſt : contrà verò nervos ſenſui inſer-
:ntes , quorum ope anima percipit obje-
:, reſolutos ferè eſſe omnes ; hocque im-
dimento eſſe , ne motus in iis productus
preſſione objectorum continuaretur uſque
animæ ſedem. Primaria difficultas erat
a in cognoſcendâ verâ cauſſâ , quæ hos ,
n illos reſolutos reddiderat , quâque ra-
)ne perficere poſſet, ut reſoluti denuò ten-
rentur.

Porrò pyxis tabacaria, de quâ antea innui,
læva manu Carteſio ſuggeſſit, ante ſuam
ſtaſin ſe Nicotianæ pulverem ſumſiſſe ,
:diditque fortè adeò prætervulgare effe-
ım poſſe quidem cauſſam agnoviſſe vires
ius Nicotianæ. Erat novi cujuſdam planè
neris. Mercator quiſpiam Amſtelædamen-
, qui non ita diu adduxerat ex Inſulâ
âdam prope Chinam, dono dederat. For-
ſima erat : ac ut mitigaret , adjunxerat
ırteſius herbam aliquam ſiccatam , cujus
men mihi indicare ſemper renuit , ut &
cum quo creſceret, licèt ſatis magnâ ejus
: donaverit copiâ. Sufficientem itaque do-
ı pronæ impoſuit dextræ manui , corpuſ-
ıe eam ut ſumeret, curavit. Ipſo momen-
effectum mirandum in cerebro ſuo anim-
ivertit: omnes enim vapores , qui eò ad-
enderant , poſtquàm proximè illam ſum-
ſet, nictu oculi diſparuere. Comperie-
ıt ſola tabaci corpuſcula diſſipare cerebri
ligines ; particulas verò herbæ admiſtæ ,
pote craſſiores, & exiguo præditas motu,
hærentes nervis ſenſui ſervientibus, eos re-
lutos adhuc magìs reddere, quàm erant an-
ı.

Hiſce

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Hiſce perſpectis haud ampliùs hæret. Concludit herbam, quam Nicotianæ admiſcuerat, deliquii cauſſam ipſi exſtitiſſe, ſenſumque abſtuliſſe; Nicotianamque eodem momento diſſipando omnes, quæ pares erant obfuſcando cerebro, fuligines, animæ integram reliquiſſe libertatem cognoſcendi & in ſe reflectendi, ut modò experta fuerat. Hinc credidit aquam Reginæ Hungariæ ſufficere tendendis denuò nervis ſenſui miniſtrantibus: quoniam ea uſu venire adſuevit in animi deliquium incidentibus. Anima igitur phialam prehendit, de quâ paulò ante narravi, & per aërem ex cubiculi angulo ad corpus transfert, (atque in hoc omnino illa conſiſtebat magia, cui obnoxium ſuſpicatus eram Carteſium) nares inungit. Vapor ille ſubtilis iſtius liquoris quod divinarat effectum produxit: intenduntur continuò nervi: ſimul anima locum repetit in pineali glandulâ, & corpori ſe unitam deprehendit, ut antea. Atque eo temporis momento ad ſe redeuntem vidi. Dixi equidem in aliud e veſtigio ſe proripuiſſe cubiculum: ſcilicet, ut repetitâ vice experimenta caperet circa ſuum Tabacum & Herbam, quæ planè pro voto ſucceſſere. Poſt illa in proclivi fuit animæ ipſius ſe corpori ſubducere. Et ex quo mecum illud ſuum communicavit arcanum, anima ipſius & mea centum itinera obierunt, ad cognoſcenda quæcumque rariſſima Naturæ.

Quandoquidem iis, qui Carteſii opera legunt, hæc omnia non ſatis innotuere, cum ratione ea mirantur, quæ tu dehinc neuti-

quam

ıam es miraturus. Scilicèt minuta illa, ad
ıæ deſcendit in de Phyſicâ ſuis libris, circa
ium Elementorum ſuorum, quantumvis in-
nſibilium, proprietates, circa figuras ipſo-
ım, motus, ordinem ad compoſitionem Mun-
i, & omnium particularium corporum: Vor- *Part. 3. Princ.*
cum ſuorum diſpoſitionem, in quibus deſig-
ıt vel variam globulorum ſecundi Elemen-
magnitudinem, quâ in diverſis ſuis com-
ɔnuntur partibus: ut, quæ centro Vorticis
oximæ, ſint minores: quæ à centro re-
otiores, majores, creſcentes perpetuò ma-
ıitudine ad certam quandam diſtantiam,
tra quam omnes ejuſdem ſunt magnitudi-
is. Conformationem illarum particularum
riatarum cochlearum ſpecie, quarum ope
aturam & diverſa Magnetis explicat Phæ-
omena methodo pulchrâ adeò & naturali:
hænomena ſanè, quæ hactenus omnibus cru-
em fixerant Philoſophis, vel iis etiam qui-
ıs nihil viſum inexplicabile, adjuvantibus
ualitatibus occultis. Hæc omnia per ſe vi-
erat, ac *intuitivé.* Atque en me, qui te-
ım loquor, cenſeſne ætate ſeptuaginta cum
ptem annorum, puſillum ita, ut cernis,
enſen', inquam, adhuc ſupereſſe, & hâc ra-
one vires meas & robur ſervare, niſi per-
ctè cognitam haberem corporis mei ma-
hinam, niſi perpetuò inſtaurarem attritas
ires & pedetentim collabaſcentes erigerem
refocillarem? Nec adhibeo remedia ex
rte Medicâ petita, cujus fallaces adeò con-
cturæ, quorumque crebrum uſum tanto
onatu diſſuaſit Principi Elizabethæ: verùm *Epiſt. Carteſ.*
tor eâ, quâ gaudet anima, corporis exactâ
cog-

cognitione, de quo adiuratè adeò ut informaretur curavit, de quo quotidie informat ſeſe, ubi lubuerit, iſthoc ſe diſponens in ſtatu, quem modò narravi. Adhæc ego, en profectò mirandum arcanum, ac infinitis modis utile. Impatienter aveo id ex te diſcere, ac ubi novero, eum ipſi honorem vendicare cogito, quem Adam vendicaſſet arbori vitæ in Terreſtri Paradiſo, ſi eò loci permanſiſſet. Nec dubitaverim, quin, ſi Origenes hoc ſciviſſet, qui hiſtorias S. Scripturæ pro tot habebat allegoriis, crediđiſſet Arborem Vitæ nihil aliud fuiſſe, niſi id arcanum, quod Adamo Deus indicaverat. Verùm ex iis quæ modò de ſanitate tua dixiſti, difficultas mihi ſuboritur. Quî fieri potuit, ut Carteſius inſtructus omni illa eximiâ cognitione, mortuus ſit anno ætatis LIV. Adeóne vita ipſi exoſa, ut machinæ organa, quorum defectus ita liquidò prævidere potis erat, in integrum reſtituere neglexerit.

Credis igitur, reſpondet, Carteſium mortuum? Neſcio equidem quâ ratione hoc intelligas, ajo, at verò mihi videtur terræ non ſolere mandari corpus hominis, niſi mortui: & quis eſt qui ignorat anno MDCL ſepultum fuiſſe Holmiæ corpus Carteſii magnifico adparatu, curâ D. Chanuti familiaris amici ipſius, tunc temporis Regis Galliæ legato ad Aulam Suecicam. D. Dalibertum poſtea tranſtuliſſe oſſa Lutetiam Pariſiorum, illaque locata in Æde S. Genovevæ, ubi adhuc Epitaphium ejus legitur inſculptum optimo & albiſſimo marmori. Hæc rurſum o-

Clerſeler. Præf. Epiſt. Carteſii.

ınia ſupponere mihi videntur hominem tam ›rtuum, quam qui maximè.

Hæc omnia vera, dicit Carteſianus meus, n obſtant tamen quin falſum ſit Carteſium è mortuum. Mori adpellatur, quando corre noſtro inepto reddito ad exercendas ıctiones vitæ defectu organorum, quæ anrum tractu atteruntur, vel corrrumpunr ob morbum quendam, vel ob vulnus jactum patiuntur, anima cogitur ſeſe ab illo ſepare, ex legibus unionis ipſorum, quas ſancivit nnium rerum ſupremus Arbiter. At verò ırteſii anima non iſthâc ratione a corpore it ſeparata: atque en tibi rei geſtæ veritam.

Elapſis tribus quatuorve menſibus ab adentu ipſius in Sueciam, quò a Reginâ Chriinâ fuerat vocatus, cujuſque colloquii hoore quotidie manè per horam in ipſius fruetur Bibliothecâ, mediâ hyeme correptus iit inflammatione Pulmonum, inſecutâ ſtam Phrenitide. Verùm cerebro a febri libera›, haud admodum difficile fuiſſet ipſum ſaitati reſtituere. Ipſemet exiguo antè temore ad amicum quendam ſcripſerat, ſeſe in ınatomicis detexiſſe, quæ centum annorum itæ fidem ſibi facerent. Ac profectò novii, Carteſium nihil quidquam temere adfirnâſſe, nec quod exploratum ſatis non haeret: verùm infelix intempeſtivuſque eror prædictionem falſam reddidit. Cùm ıondum ſatis bene noctu quieſceret, aninam cupido inceſſit iter quoddam breve ſuſcipiendi, animi relaxandi gratiâ. Uti ſolebat, Nicotianam ſumit, animaque

Præf. Epiſt. Carteſii.

Ep. Cart.

corpus in lecto relinquit. Malo fato Medicus, contrà quàm adſueverat, ipſum nocte concubiâ inviſit. Strepitus ab intrante per cubiculum excitatus corpus Carteſii non expergefacit, ſenſibus utpote planè conſopitis vi herbæ, quam Tabaco admiſtam dixi, verùm admota naribus a Medico exigua quædam phiala liquore ſummè ſpirituoſo repleta ad corroborandum cerebrum, promtiùs etiam operata eſt in organum ſenſûs, ac Hungariæ Reginæ aqua, quâ uti amabat Carteſius, ubi in corpus ſuum redire geſtiebat, & ſedare ſuum animi deliquium. Hinc oculos aperire, ac ſuſpiria quædam ducere. Medicus rogare, quî valeat: Machina per aliquot dies quæ adſueverat ad hanc interrogationem reſpondere, *ſatis malè ſe habere*, & tum idem dare reſponſum. Verùm ad alia, quæ Medicus percontabatur, cùm anima ibi non adeſſet, ut cohærentia & ad rem reſponderet, omnia reſponſa abſurda exhibere, & delirium referentia, prout machina voce Medici determinabatur. Præ primis perpetuò loquebatur de ſeparatione animæ ſuæ ab corpore: quoniam ultimæ cogitationes, quas anima habuerat ſe ſubducens, circa illam verſatæ fuerant ſeparationem, ac cerebro impreſſas reliquerant imagines, vel veſtigia, iſtis cogitationibus reſpondentia, ac linguam determinantia eum in modum, qui requireretur ad pronuntianda id genus vocabula. Hæc phænomena anſam Medico credendi dedere, novam ſubeſſe phrenitida. Eveſtigio vena in pede ipſi ſecatur, cucurbitæ adplicantur, plurima alia violenta adhibentur remedia, quæ exhauſerunt alterâruntque eâ

Præf. Epiſt. Carteſ.

ratic-

›ne miſellum illud corpus, ut momen-
mnes perdiderit vires. Paulatim diſſipa-
:alor: metaſtaſi cerebri oppletum pectus:
'i cadaver fit, ac ineptum quod ampliùs
:tionibus inſerviat vitalibus, & animam
piat. En tibi modum, quo hæc res geſta,
ue ita verè dicitur, ut liquidò potes vide-
Carteſium non eſſe mortuum.
Ad hæc ego, profectò hoc non eſt juxta for-
las mori: tamen Suecus ille Medicus ab
nibus Europæ Facultatibus Medicis inſons
icaretur, utpote qui Artis ſuæ ſecutus fue-
regulas. Juxta Phænomena ſe geſſit, ac
quod ex te diſco, ſciret, D. Carteſium
›rtuum non eſſe, poſſet gloriari rem in arte
edicâ ſe feciſſe ſine exemplo, hoc eſt, ho-
inem occidiſſe, qui tamen non ſit mortuus.
erùm perge, quæſo, aç me doce, ſi ſcis,
ıæ ſors fuerit animæ Carteſii. Quippe juxta
incipia indubitata noſtræ fidei, anima hoc
ſicto mundo, de futuro ſtatu ſuo judicis ſen-
ntiam ſubit, ac Paradiſo, Inferno, vel ad
mpus Purgatorio adjudicatur.
Urebat meum ſenem hæc quæſtio, ac per
eum, aït ferè commotus, exue ridiculam
am conſuetudinem, quam contraxiſti in ſcho-
:, quæſtiones Religionem ſpectantes cum
erè Philoſophicis commiſcendi. Parùm ab-
it, quin Carteſius Philoſophiæ valediceret,
el ſaltem operum ſuorum editione ſuperſede-
:t, ut evitaret moleſtiam reſpondendi inſul-
s illis objectionibus, quæ ipſi centies & ubi-
ue fuere propoſitæ. Merum tibi expono fa-
:um, tu verò cupis, ut rationem tibi red-
am operationis Divinæ. Jam verò tandem

 annon

annon omnes occupavi tuas difficultates, adfirmans Carteſium non eſſe mortuum. Ac quandoquidem mortuus non eſt, quid attinet rogare, an judicium ſubierit, quod non niſi poſt mortem inſtituitur.

Impudentiæ tum ego veniam rogare, ac conſentire cum ipſo, nihil importunius, nihil incommodius eſſe, quàm incidentes id genus quæſtiones, Philoſopho, qui ſibi Syſtema confecerit, nullâ habitâ horum omnium ratione. Verùm hoc ipſum me commonefacit, ut hîc petam a Lectoribus meis, ſimili æquitate erga me adfecti ſint. Nec cogitent mihi litem movere de Animis ſejunctis, quarum offendi magnum numerum in meo itinere hinc ad Mundum Carteſii, nec me cogant reſpondere ad multas quæſtiones, quæ occaſione illarum moveri poſſent. Ex hoc fundo emergunt maximè jucundæ quæſtiones hiſtoriæ meæ, quam in Publicum hâc niſi ſub conditione non profero. Revocemus in memoriam Carteſianorum privilegium, qui incerti quâ ratione facerent ſatis argumento, quod formabatur contra eſſentiam materiæ, ex S. Sacramento Altaris petito, jure ſibi licere exclamare putârunt, injuriâ ſe adfici: Philoſophiam ſuam conſiderare res abſtractè à fide. Philoſophos, non verò Theologos ſe eſſe: conari ſe explicare naturæ, non verò Religionis myſteria. Concedatur mihi hoc idem jus, vel hæc potiùs eadem gratia; ac ſi fortè reperiatur quiſpiam, qui me infectum ſuſpicetur hæreſi eorum, qui docuere animas e corpore egredientes non habere determinatam circa Æternitatem ſortem, alterâ adhuc vice ſubeat, Hiſtori-

icum & Philoſophum, non verò Theolo-
n me hic agere; Hiſtoriam Mundi Carte-
ne ſcribere, non verò confeſſionem fidei;
:haracterem hiſtoriæ iſtiuſmodi facere, ut
minùs dependeat a veritatibus Religionis
træ, quàm Philoſophicum aliquod Syſte-
. Non eſt vel leviter horum peritus, qui
: non concedat: atque his ſemel ſuppoſi-
, redeo ad narrationem ſenis mei, qui ita
gebat.

Redux Holmiæ Carteſii anima non abſimi-
offendebat negotium ab illo iſtius Hermoti-
, de quo loquitur Tertullianus, qui idem
n calleret, quod Carteſius, arcanum, ſin- *L. de Animâ.*
lis noctibus ſopitum in lecto corpus linque-
t, ac totum percurrebat terrarum Orbem.
mbæ enim ex itinere reduces domicilium
um reperierunt ineptum, cui inhabita-
nt.

Conſilium itaque cepit Carteſius me Pariſiis
mmorantem adeundi. Ac initio de iis, quæ
ſi evenerant, nihil quidquam mihi dixit,
vitavitque ſolummodo, ut ſpatium ali-
iod ſecum conficerem. Dictum, factum.
imto Nicotianæ pulvere memet ad ipſum
quendum compoſui. Vixdum anima mea
corpore aberat, cùm me ſermone ſpirituali
mpellat, mira tibi narrare occipio: corpus
nplius non habeo, ſepeliendum quippe Hol-
iæ hoc ipſo die; ac dehinc ordine, quæ tibi
arravi, ediſſerit omnia. Nec ea propter tri-
ior mihi viſus. Rogo, an non experiretur
d, quod adſerunt Philoſophi, animam cùm
t corporis ſubſtantialis forma, ubi ſe omnino
corpore ſeparatam ſentit, eſſe *in ſtatu violen-*

to. Reſpondet, ſe illam haud ſentire violentiam, imò infinitis modis meliùs ſe habere ſolum, ac cum corpore: unicum tantùm ſedere ſcrupulum, ſcilicet quò ingentium illorum ſpatiorum loco ſedem ſuam figeret. Meam hâc ſuper re ſententiam ſe expetere, at verò ad id propenſum eſſe, ut tertium cœlum pro domicilio eligeret. Tertium illud cœlum, ex diviſione quam fecit Mundi Carteſius, cœlorum eſt poſtremum, ac omnium longiſſimè a nobis remotum: primum enim nihil eſt niſi Vortex ille, in quo collocata noſtra Tellus, cujus centrum corpus Solis, circa quem cœleſtis materia, quæ illum componit Vorticem, nos rapit, & haud ſecus ac Planetas adſiduè circumagi facit. Secundum cœlum multis modis vaſtius illo, in quo nos degimus, omne illud amplum comprehendit ſpatium, in quo fixas ſtellas cernimus, quæ tot ſunt Soles, ſingulæ ſuo, cujus centrum ſunt, gaudentes Vortice, veluti ſui centrum noſter Sol eſt. Tandem tertium cœlum eſt omnis illa materia, vel omnis illa indefinita extenſio, quam concipimus ultra fixarum cœlum, quæ nullos agnoſcit limites, & ad quam comparatum aliorum ſpatium pro puncto haberi poteſt.

Jam verò multæ rationes Carteſium adegerunt, ut ſedem eligeret ſibi tertium illud cœlum. Harum prima fuit, ut evitaret conſortium longè frequentium animarum Philoſopharum, quas undiquaque noſtro in Vortice volitantes cernere eſt: etenim, ut hoc in tranſitu dicam, credere neutiquam poſſis, quot offenderimus animas iſtiuſmodi in noſtro iti-

ere ; ac non leviter Carteſius obſtupuit, i videret arcanum, quod primum ſe repe- e crediderat, notum fuiſſe omni tempore, o vel mediocris ſic ſatis notæ hominibus, i eo uſi fuere, ne morerentur, quorumve mæ ſua perdidere corpora caſu quodam n abſimili ab illo Carteſii. Verùm illud con- rtium redditum ingratum, imò non fe- ndum ſpiritui Carteſii, quia iſtæ animæ nnes, licèt a materiâ omnino diſtinctæ, æjudiciis manent imbutæ, quibus occupatæ ere, quando corpori erant unitæ, & quan- ocumque cum illis de principiis corporum, : cauſſis variorum Phænomenûm diſſerere cu- eret, illæ frigidè ipſi ſuppoſuere, vel probâ- unt auctoritate Ariſtotelis, *formas ſubſtantia- es*, *accidentia abſoluta*, *qualitates occultas*, it & hodie vulgò fit in plurimis Scholis. At- que exceptis nonnullis primi ordinis animis, quas convertit, & Carteſianiſmo initiavit, omnes junctis fœderibus in ipſum irruére pari cum furore, ac hujus Mundi Philoſophi, ubi primùm Doctrinam ſuam evulgare occœ- pit.

Altera ratio, quæ ipſi hoc ſuggeſſit conſi- lium, quòd iſthæc indefinita ſpatia conſide- raret tanquam novum, cujus auctor erat, in- ventum. Quippe, poſtquam ſibi formâſſet ideam diſtinctam materiæ, cujus eſſentia con- ſiſtit in extenſione, concluſit ſpatium, ex- tenſionem, materiam, unam eandemque rem eſſe diverſis ſignificatam nominibus. Atque cùm neceſſum foret, ut ultra Mundum no- ſtrum concederetur ſpatium quoddam, & ali- qua extenſio, quandoquidem diſtinctiſſimè ea

ibi eſſe concipimus, evidenter adparuit ultra Mundum materiam exſiſtere, ac cùm non concipiamus illam materiam ullos agnoſcere limites, neceſſum eſt ut ſit infinita, vel potiùs indefinita.

Tertia tandem ratio, ac præcipua, quamque mihi non antè aperuit, quàm ad loca, quæ petebamus, perventum foret, hæc fuit; ſcilicet cogitans fòre, ut illa materia ultra fixas ſtellas eſſet informis, nec comparata ad normam alicujus mundi, non deſperabat ſemet poſſe illam in actum redigere, ac ſibi pollicebatur illam dividendo, movendoque juxta ſua principia, inde poſſe conficere mundum planè huic ſimilem, niſi veri quòd in eo homines dari nequirent, at verò machinæ tantùm Automaticæ homines referentes. Atque hoc propoſitum conſtituit maximam partem Librorum, quos nobis reliquit, ac præ primis *Libri Principiorum*, ejuſque cui titulus *Mundus Carteſii.* Itaque e veſtigio iter ad tertium auſpicabamur cœlum. Nihil jam dicam in ſpecie de iſthoc itinere. Spero paucis abhinc diebus me facturum, ut ipſemet hoc facias: dicam tantummodo, ubi adpuleramus, reperiſſe nos illam materiam, qualem nobis imaginati fueramus, abſque formâ, abſque ullo regulari ordine partium; ac velutí materiam brutam, quæ artificis exſpectaret manum. Omnes itaque percurrimus partes, diuque obambulamus per vaſta illa alterius mundi deſerta, quæ perfectè mihi offerebant chaos, maſſamque illam confuſam, de quâ frequens apud Poëtas ſermo. Hic adſpectus, quantumvis merum ſpiritum, horrore me percellebat; omnia-

omniaque timorem videbantur incutere. Attamen hîc, inquit Carteſii ſpiritus, ſedem figere mihi conſtitui; nec hinc abire cogito, donec Dei providentia de me ſtatuat pro Æternitate. Voluit ut naſcerer reformandæ reſtaurandæque Philoſophiæ in mundo. Jam feliciter inceperam. Caſus, quem prævidere non potui, non permiſit ut propoſitum meum exſequerer. Nec hoc impedimento fuerit, quò minùs impendam quam mihi dedit cognitionem. Cogito mei Mundi Syſtema, cujus vidiſti Ichnographiam, ad umbilicum perducere. En materiæ tantum, imò plus quàm requiritur: nil egeo, niſi motu. Eſt ſanè cur ſperem, Deum, cujus bonitas ſinit, ut ſe determinandum præbeat, quatenus univerſalis eſt cauſſa, a cogitationibus, & propenſionibus ſuarum Creaturarum, habitâ ad ipſarum naturam ratione, mihi non deſore. Spiritus ſeparatus cùm ſim, jus habeo in majores motus illis, qui agitant ſublunarem omnem mundum. Simulac voluero hanc movere materiam, Deus, juxta leges ſuæ providentiæ, in eâ tantundem producturus eſt motûs, quantum ego in eâ producere cupio. Opus tantummodo, ut iſte motus determinetur diſtribuaturque, prout ſingulæ requirunt materiæ partes. Illa determinatio, ut aliàs tibi explicui, a ſecundis cauſſis dependet; atque hæc dependebit omnino a me, regulas illius novi. Conſequentiæ, quas ex illis deduxi regulis, ad exſequendum meum propoſitum ſunt infallibiles. Brevi, eo me in ſtatu juxta mea comperio principia, ut felicem mihi ſucceſſum polliceri queam. Verùm cùm, quam ad-

 gredior

gredior machinam, prodigioſæ ſit magnitudinis (ſcilicet æquè ac veſter eſt Mundus, vaſtam hanc facere contendo) cùm ſit componenda infinitè variis e partibus, inſtrumenta, quibus in actum deducenda, ſint innumera, combinationes, diverſæque determinationes motuum in eâ infinitæ debeant eſſe, nec unius diei, nec unius anni hoc opus eſſe poteſt. Vel dimidium ſeculum meditando iſtiuſmodi propoſitum humanæ menti non eſt nimium; verùm etiam credo, ſuppoſitis meis principiis, ſuffecturum fore. Nec mihi quis gratum fecerit, qui me adierit & otium meum iſthoc temporis ſpatio interpellârit. Occipio frui ſolitudinis voluptate, quam in terrâ reperire mihi negatum fuit, ac te obſecro ut ſuper hoc negotio mentem meam aperias omnibus meis veſtri Mundi amicis, quos e re judicaveris de iis, quæ mihi accidére, certiores facere, cavendo ne præciſè locum, in quo dego, iis commonſtres: nam, ut hoc repetam, nolo ut innoteſcat nimiùm, quid de me factum, & quid agam. Homines, ac præſertim Philoſophi indigni ſunt, cum quibus hæc magna communicentur: pro fabulis haberent, quæ de me inaudirent, eodem animo, quo pro chimæris habuere omnia illa, quæ iis aperui de meo ſcopo circa conſtructionem alicujus mundi. Tu verò, mi amiciſſime, corpus tuum repete, jam fere duo ſunt elapſi dies, ex quo illud reliquiſti; nimium jejunium illud poſſet excalefacere, & febrim accendere. In primis cave, ne te illi ſubducas in omne tempus ex propriâ tuâ auctoritate, ut fecere nonnulli ex meis diſcipulis, ac tot alii veteres Philoſophi, quibus

ob-

obviam facti ſumus variis in locis, hoc enim Providentiæ mandatis adverſatur. Dum redis, ſpiritum quære Patris Merſenni, ac ad me mitte. Adſumam mihi, qui auxilietur, & operam velut ſocius det.

Poſtquam hæc ſuprema cariſſimi Spiritûs mandata recepiſſem, mihique permiſſum ab illo foret, ut ipſum inviſerem ſaltem ſemel ſpatio trium vel quatuor annorum, quandoquidem nimia vis facienda animo meo fuiſſet, ſi tam diu ejus præſentiâ privari debuiſſem, ac etiam periculi plenum foret ſemper privari, ſi fortè accideret ut morerer ſpatio magni illius annorum numeri, quos deſtinabat integræ Mundi ſui conſtructioni: mutuis at ſpiritualibus jungebamur amplexibus, ego autem iter versùs Lutetiam ingrediebar. Quod dum facio, plurimos Vortices ac Planetas percurro, haud inveniens P. Merſennum: tandem verò ipſum offendo in Mercurio, quo ſummopere delectatur, quandoquidem illa Planeta admodum elegans eſt. Indico ipſi Carteſii mandatum, cum gaudio accipit, ſemper enim fidum cum ipſo commercium habuit, præcipuè Pariſiis. Quandoquidem verò cogebar reditum accelerare, non diu colloquebamur. Separamur itaque. Ille tertium cœlum petit, ac ſpiritus meus domum meam, ubi ſe corpori ſuo reunit.

Poſt hæc ſexties, vel octies Carteſium inviſi. Duo tantum menſes ſunt, ex quo hoc iter feci. Atque tum mihi adfirmavit ſe habere omnes tantùm non ſuas combinationes, omnia fere eſſe demonſtrata; ac niſi clara maximè Geometriæ principia, Mechanicæ, & Staticæ falſa ſint, ſe rem confecturum certò

certiùs. Tum temporis fore ut me ad ſe arceſſeret, ut ſimul poſſemus revidere, & examinare propoſitum ſuum, ac fortè incipere operam e veſtigio dare producendo Mundo ſuo, hoc eſt mihi exhibendo pulcherrimam, cujus capax eſt humana mens; delectationem. Quotidie mandatum ipſius exſpecto, ut iter parem. Niſi ipſe nolis, nil eſt quod te impediat, ne comes mihi ſis, & aliquando reddaris ſapiens ſupra doctterrimos Carteſianos, qui hactenus exſtitere. En cuncta, quæ dicenda habui.

Vix ultima hæc verba pronuntiârat, cùm inſignis homo e Provinciâ, admodum ingenuâ formâ, mihi verò tunc temporis verè moleſtus, cubiculum ingreditur habitu campeſtri, ac ipſi ſignificat vehiculum ſuum paratum præ foribus eſſe, ac tempus abeundi. Inſtituerant enim per binas ſeptimanas exſpatiari. Proinde veniâ ab ambobus rogatâ, me ſubduxi.

De hâc hiſtoriâ quid cogitarem, non habebam: nondum pro Lymphatico cognoveram illum, qui hanc mihi narrârat, ac certè cohærere narratio videbatur ultrà, quàm ut Phantaſma foret. Imaginabar itaque poſſe quidem eſſe myſticam allegoriam omnia Sectæ comprehendentem arcana, cujus mihi poſtea exhibiturus eſſet explicationem. Interea incumbo feriæ lectioni operum mei Carteſii, ac poſt geminam hebdomada totam conficio, haud ſanè ſine doloribus quibuſdam capitis, productis a nimiâ animi contentione, quâ uſus fui in hac lectione: verùm eventus me docuit, omnia quæ mihi dixerat, nullo modo allegorica eſſe, at intelligenda præciſè juxta litteram, ut jamjam adpariturum eſt.

:nex meus rure redux poſtridie epiſtolam
ne miſit, ſignificans ante elapſum viginti
tuor horarum ſpatium ſeſe me inviſurum,
opus eſſe ut adcinctus eſſem itineri, de
mecum fuerat collocutus. Per integrum
diem illum impatienter exſpecto: tandem
o cùm video non venire, ſub decimam
pertinam me in lectum confero. Poſt ſe-
horam vigilans adhuc obſtupui, cùm audi-
ab omni parte lecti mei cortinas trahi, ſa-
magno cum fragore feneſtras aperiri, ac me-
nte Lunâ tum temporis ſummè ſereno lu-
ne fulgente, viderem medio in cubiculo ſe-
n meum, ac cum eo alium, veſtitos ha-
planè non vulgari. Fateor mihi horrore
culſo ſtetiſſe comas, ac ſudore per totum
corpus maduiſſe. Hinc ſenex ad lectum ac-
lens dicit, metu perculſus es; verùm collige
parumper, nonne me nôſti? Novi te, reſ-
ideo tremens, at quid cogitem, dum te in
: cubiculo conſpicio, qui eò non intrâſti
januam, & præterea omnem illum ſtrepi-
n ac fragorem hîc ſentio? Potes, & debes
gitare, inquit, Spiritum a corpore ſepara-
n ſuo poſſe ubique intrare abſque clavi, nec
is eſſe ut per januam introëat; quod verò
ſtrepitum qui excitatus fuit, ideò tantum
tum, ut expergiſcereris, & frueremur
uptate te percellendi, & timorem nonnul-
n incutiendi. Nonne meminiſti colloquii,
od habuimus ante quatuordecim dies?
ne memini profectò, reſpondeo: at verò
mnia, quæ mihi tunc temporis dixiſti, vera
:re? Veriſſima, reſpondet, atque huc me
ntuli, ut fidem liberem meam, cùm ad

Mundum Carteſii te ducturum ſim pollicitus. En tibi R. P. Merſennum qui juſſu Carteſii mihi nuntiavit omnia eſſe parata, ac ipſum lubenter cupere, antequam ſeriò exſequatur propoſitum ſui Mundi, aliquod ejus tentamen facere coram nonnemine ex amicis ſuis. Si cupis, ex eorum numero potes eſſe, nec auctor tibi fuerim tam opportunam occaſionem perdendi. Simul P. Merſennus adpropinquat, & prono admodum corpore me ſalutans confirmat, quæcumque Senex meus dixerat; additque, ſe, cùm ex illo ſciret qualitatem & diſpoſitionem meæ mentis, poſſe mihi polliceri, gratum me fore Carteſio. Condona, inquam mi Pater, ſtuporem quo me adfectum cernis: haud adſuevi iis, qui me iſthâc ratione inviſant: nondum Spiritus videram; nec umquam crediſſem eos adeò humanos & honeſtos eſſe, ac vos mihi videmimi.

Interea quidquid, ut metu liberarer, agerem, perpetuo tamen in timore verſabar. Valdè metuebam, ne quid hìc ſubeſſet magici; ac ſub ſpecie me ducendi ad Mundum Carteſii, ad Sagarum conventum deducere cuperent. Aliunde verebar bilem concitare iſtis Dominis Spiritibus, qui vulgò joci ſunt impatientes; ac memoria mea plura uno mihi ſuppeditabat exempla certorum hominum, quibus ſimilia myſteria fuerant concredita, quibus, poſtquam eorum partem addidiciſſent, ad finem uſque non cupientibus pervenire, obtortum a Diabolo collum fuit, vel ab iis qui ab ipſo venerant. Omne itaque tacitus mecum abdicabam pactum, ac omni utebar cautione, quam mea mihi ſuggerebat prudentia hoc in re-

rerum ſtatu, poſteaque hac ratione, ut potui, eos humaniſſimè compellavi.

Domini mei, profitemini Sectam, cui moris eſt numquam ſe dare niſi veritati clarè cognitæ, atque id illàm diſtinguit ab omnibus aliis, ac præſertim a Philoſophiâ Scholaſticâ. Colloquium quod tecum, mi Domine, habui ante hos quindecim dies, accurata lectio Carteſii, quam poſtea inſtitui, ac præſens rerum, in quo verſor, ſtatus nonnullas difficultates menti meæ offerunt, quarum, antequam ulteriùs progrediar, elucidationem percuperem. Per voſne licebit eas proponere? Lubenter te audituri ſumus, reſponderunt, ac tibi ſumus ſatisfacturi: confidenti modò animo ſis; quippe turbatus adpares. Certus ſis nil eſſe cur timeas, nec ullam tibi vim factum iri.

Poſtrema hæc verba animum nonnihil reddiderunt; ac dein firmiori voce ita ſum exorſus. Paucis abhinc diebus apud Carteſium legi, eſſentiam Animæ conſiſtere in eo, quòd ſit ſubſtantia cogitans. Illam nec extenſam, nec figuratam, nec coloratam eſſe, vix poſſum hæc cum iis, quæ nunc video, conferre: etenim innuitis vos eſſe meros ſpiritus, & tamen in vobis video diverſos colores, humanâ vos cerno formâ, extenſæ veluti mihi res adparetis: ex hac me, obſecro, difficultate eripite. E veſtigio infit, P. Merſennus. Quod proponis, a ratione non eſt alienum: verùm reſpondere tibi facile eſt, ac rem explicare adcuratè per evidentia veræ Philoſophiæ principia. Certum eſt animam eſſentialiter eſſe ſubſtantiam cogitantem, illam nec figuratam eſſe,

eſſe, nec colore prædítam. Reverâ meri nos ſpiritus ſumus; & licèt tibi videamur faciem habere, manus, pedes, tamen nec faciem, nec manus, nec pedes habemus. Oportet ut ſit æquè infatuatus, ac Tertullianus, & in errorem non minori, quàm ille, furore pronus, ubi ſemel in illum inciderat, qui putat animam non tantùm eſſe corpoream, verùm & membris gaudere adcommodatis ad membra corporis, quod animat, ac eâdem planè in corpore eſſe ratione, quâ gladius in ſuâ vaginâ. Devota illius quæ animas inter precandum coloris cœrulei conſpicabatur, mentem ejus iſthâc in re tranſverſum egerat.

L. de animâ.

Ut itaque comprehendas, quâ nos videas ratione coloratos, figuratos, extenſos, faciе præditos, pedibus & manibus, licèt nec extenſionem, nec colorem, nec figuram, nec pedes habeamus, nec manus; oportet ut ſcias, animam tuam, quamdiu tuo eſt unita corpori, non poſſe videre aliam animam talem, qualis in ſeipsâ eſt: nec magis alíus loquentis ſonum poſſe percipere, vel ut rectiùs me explicem, illam non poſſe frui inmediatâ alterius illius cogitationum communicatione. Itaque ut ſcias nos hic eſſe, & ut noſtras tibi cogitationes aperiamus, & rationem noſtri adventûs expediamus, oportet ut adhibeamus medium comparatum ad eum ſtatum, in quo nunc temporis tua verſatur anima. Nec tibi imaginatum iveris ad hoc opus fuiſſe, ut mihi formarem corpus aliquâ conſtans materiâ. At verò in memoriam revoca, quod ex lectione operum Carteſii addiſcere debuiſti; videre objectum aliquod

aliquod, ſi animam tuam ſpectes, nihil aliud eſſe, niſi percipere extenſionem, figuram, & colores iſtius objecti. Iſtam perceptionem nullo modo provenire immediatè ab objecto, quod remotum a noſtro corpore, & noſtrâ animâ, in illa per ſe agere nequit. Hoc itaque peragitur ope reflexionis plurimorum radiorum luminis, qui reſilientes a ſingulis objecti punctis, varia illa, ex quibus nervus opticus componitur, filamenta agitant. Illa verò agitatio communicatur cum cerebro, tenditque ad eum locum, in quo ſedes reperitur animae; ac deinde, & occaſione iſtius agitationis anima ſibi format ideam objecti, quod percipit eo modo, qui viſus adpellatur; atque juxta diverſas modificationes iſtius agitationis objecta videt ad diverſas diſtantias, ſub diverſis figuris, & diverſorum colorum. Hinc ſequitur perceptiones, & ideas animæ non dependere neceſſariò ab objectis, at unicè ab interiori organo, idque mille probatur experientiis, ac præ aliis Phreniticorum exemplo, qui objecta aliâ plane percipiunt ratione, quàm reverâ in ſe ſunt, atque ea, ubi non ſunt, vident.

Ut hic, ubi ego ſum, percipias corpus, licèt non adſit, ſufficit ſi organum tuum internum moveatur pari modo, ac moveretur, ſi reverâ hic adeſſet corpus aliquod: atque id actu facio in nervo tuo optico, ut tu cognoſcas me hic eſſe: hoc tibi hic corpus cernere facit, quamvis reipsâ non adſit: quodque perago in organo tibi in videndo inſervienti, uti corpus hic tibi exhibeam, eâdem

dem proportione facio in illo, quod tuo auditui inſervit, ut audire queas ſonos & verba. Motum inprimo filamentis nervorum tuorum quintæ conjugationis, eundem quem vibrationes & undulationes aëris ipſis imprimerent, ſi agitarentur motu linguæ, & oris hominis cujuſdam, qui eò loci foret, ubi eſſe tibi videor, & qui tibi eadem verba diceret, quæ nunc audis.

P. Maignan. Atque ex hiſce principiis, Pater quiſpiam noſtri Ordinis ingenioſè admodum explicuit myſterium S. Sacramenti Altaris, abſque quòd opus ipſi fuerit adhibere omnem illam nugatoriam molem accidentium abſolutorum, quæ concipere neutiquam poſſumus. Etenim dicit, ubi docemur Corpus J. C. ſubeſſe phaenomenis panis, docemur nihil aliud niſi Corpus J. C. verè eſſe, ubi erat panis, & nobis adhuc videtur eſſe, & ut panis nobis adpareat eſſe, ubi Corpus J. C. reverâ eſt, Deus in ſenſus noſtros operatur. In iis producit eoſdem motus, & eaſdem efficit impreſſiones, quas peragebat antea panis. Ita quando Dominus noſter adparuit S. Magdalenæ ſub ſpecie Hortulani, non aliâ ratione operatus eſt in oculos ejus, ac facies & habitus Hortulani feciſſent, non verò ſe contexit abſolutis Hortulani accidentibus.

Verùm hæc experientia, quæ nunc tibi obtigit, oportet ut te doceat modum, quo mortui nonnumquam, permittente Deo, vivis ſe oſtendunt: etenim eodem, quo ego tibi actu adpareo, iis videntur modo. Atque illa aërea vel aquea corpora, quibus ſeſe induere

induere perhibentur, meræ ſunt chimæræ effictæ ab imaginatione eorum, qui de Dæmonomaniâ egerunt ſupponendo principia Philoſophiæ Scholaſticæ. Reſtatne tibi adhuc ſuper hac re ſcrupulus?

Hui! Pater mi, reſpondeo, en elucidationem, quæ me longè contentiſſimum reddit: ut purus ſpiritus loqueris. Haud adeò magni facio illam explicationem, quam dedit ille veſtri Ordinis Pater Myſterii Euchariſtiæ; imò pro axiomate habeo cum ſapientiſſimis Catholicis Philoſophis, quidquid novum in iſtiuſmodi materiâ, eſſe & periculo obnoxium, ac ſaltem pro ſuſpecto habendum ſemper. Omnino diſſipâſti, quæ me malè habuit, difficultatem. Diu eſt quòd exiſtimavi, ſenſationes non peragi niſi ope motûs localis organorum, verùm illa idea nondum erat in mente meâ explicita; Ariſtoteles id jam ante Carteſium dixerat, verùm non explicuerat. Dehinc æternùm valere dico magnæ parti idearum, quas eâ de re formaveram. Ejuro coram te omnia illa Axiomata, quæ ſpectant *Intellectum Agentem*, *Patientem*, *Paſſibilem*. Agnoſco nil eſſe niſi terminos nihil denotantes, & unicè inſervientes in admirationem rapiendis ignaris, qui illos non intelligunt, ſibique imaginantur à Philoſophis illos intelligi. *Ariſt. in Probl.*

Hæc poſtquam iis eſſem teſtificatus, anima P. Merſenni organum meum commovit modo quodam, ex quo conjiciebam illa ipſi perplacuiſſe; idque animum addidit alteram ipſi difficultatem proponendi. Mi pater, itaque ajo, non ſatis intelligo, quid ſit ille Mun-

Mundus Carteſii, quò me ducere vultis? Dum Carteſium legi, conceptum formavi, Mundum ipſius nihil aliud eſſe præter illum, in quo nos verſamur, expoſitum principia
Epiſt. 37 *Tom.* 2. ſuæ juxta Philoſophiæ; ac adcuratè memini legere hæc verba in Epiſtolâ quâdam, quam ad te olim dedit; Crediturum ſe nihil in Phyſicis ſcire, ſi ſolummodo poſſet dicere, quâ ratione res ſe poſſent habere, niſi demonſtraret illas non aliter ſe habere poſſe.
Meth. pag. 39. Hoc oſtentationem redolet: verùm prætérea mihi perſuadet, ubi aliàs dicit, ſe non velle loqui de iis, quæ reverâ in hoc Mundo fiunt, verùm quæ fieri deberent in eo, quem ſibi imaginatione proponit, Mundo, ægerrimè laturum, ſi fides ipſi adhiberetur.

Veriſſima ſunt quæ dicis, reſpondit P. Merſennus, noluiſſet hoc in negotio ſibi credi Carteſius. Ergo Mundus Carteſii reverâ hic Mundus eſt expoſitus juxta ipſius Philoſophiæ principia. Atqui verum etiam, exſiſtere, vel potiùs exſtiturum brevi alium quendam Mundum, quem æquiori jure adpellaveris Mundum Carteſii, quoniam ipſe ejus erit auctor. Atque hic eſt ille Mundus, de quo tecum locutus hic amicus tuus, & quem, ſi tibi lubitum, conſtruentem Carteſium tecum adibimus. Majori curioſitate dignum quidpiam quis eſt qui cogitet, reſpondeo; nec feſtum, nec ſolennitas, nec ulli ludi me avocârint, ne ſpectator ſim iſtius prodigii, quod abſque dubio Philoſophiæ humanæ mentis perfectiſſimum exemplar eſt. At verò, D. mi, dixi converſus

ſus ad ſenem meum, ipſius, quod mihi narrâſti, exemplum Carteſii me malè habet. Iter ſanè longum eſt. Iſtiuſmodi, quem Carteſius contendit facere, Mundus, unius horæ non perficitur ſpatio. Sentio animam meam corpus ſuum amare: illam reducem laturam ægrè, ſi id ineptum ſibi recipiendæ offenderet; ac infinita poſſunt accidere, quæ ne mihi noxæ ſint quis eſt qui ſpondeat?

Omnibus ritè proſpeximus, reſpondet, reſpice pedem lecti tui. Proh Deum immortalem, Domine mi, exclamo totus horrens, quid mihi oſtendis? Ergone & Diabolus hîc ſuas partes agit? Me infelicem! perii: at perire malo, quàm tantillum cum illo negotii habere. Recedas hinc, mi Domine, omnibus veſtris incantationibus, univerſæque veſtræ magiæ valere dico.

Placidè, refert ille, placidè. Ne tantopere turberis: quem vides non tam Diabolus, quàm niger eſt. Omnino non eſt Diabolus; anima eſt parvuli Æthiopis Carteſio ſervientis, cujuſque hiſtoriam, ut omnem tibi eximam ſcrupulum, ſum narraturus tribus verbis.

Hic quem vides Æthiopulus olim famulus fuit D. Regii celebris Profeſſoris Medicinæ in Univerſitate Ultrajectinâ, qui, ut bene nôſti, initio intimæ admiſſionis amicus fuit, diſcipulus, & adorator Carteſiii. Ea propter dignus Carteſio viſus, cum quo communicaret arcanum ſuum ſeparationis corporis & animæ. Poſtea inter illos lis orta, ita ut Carteſius ſui muneris eſſe putârit contra ipſum ſcribere, quoniam ſuam corrum- *Varia Epiſt. Carteſii.*

pebat

pebat doctrinam, imò illam offendiculi plenam reddebat.

Regius, cujus mores non ſemper ſcitiſſimum hominem referebant, ſaltem ſi Carteſio eâ ratione ipſum depingenti ſit credendum, ut vindictâ frueretur, ac Carteſio oſtenderet, quantopere rem contemneret, quæ illi maximi habebatur momenti, arcanum ſuum communicavit cum hoc Æthiopulo, qui inter alia aliquando eo uſus fuit. Rediens domum rure, quò à Domino miſſus fuerat, laſſum ſe ſentit, & ſub umbrâ quercûs cujuſdam conſidet, animaque corpus ſinit quieſcere & dormire, ac exſpatiatum, neſcio ubi, ſe proripit. Interea latrones non ita procul hominem quendam obtruncant. Capitalium criminum Judex, qui non longè inde aberat, de caede edoctus e veſtigio comitantibus Lictoribus, illuc advenit: ingens, qui concitabatur, ſtrepitus excitavit Æthiopuli corpus, ac ipſi evenit quidpiam non abſimile illi, quod nuperrimè tibi narravi accidiſſe Carteſio. Machina illo ſtrepitu determinata, ac illâ forti impreſſione, quam præſentia armatorum illorum hominum fecerat in ejus organa, in fugam ſe conjicit. Lictores illam perſequuntur, detinetur, examinatur. Ad ſingula verba hæret, & contradictoria perpetuò profert in reſponſione, quæ abſente animâ non poterat admodum cohærere.

Iudex, qui feſtinus in negotio aliquantùm, fugam ejus ac metum, qui adparebat in facie, & verbis, pro argumento habuit criminis convincente, ac e veſtigio ipſam ex arbore ſuſpendi juſſit, veluti participem

modò

modò perpetrati homicidii. Momento elapſo temporis anima rediens corpus reperit figurâ ſuſpenſi turpiſſimâ. Coacta itaque recedere admodum angebatur. Maxima ſeparatarum animarum pars quæ per mundi extenſionem volitant, animæ philoſophorum cùm ſint, & animæ alicujus notæ, quæque in quodam concilio præcipuarum maximè, veram pronuntiârant opinionem illam Philoſophicam, quæ vult omnes animas ejuſdem ſpeciei non eſſe, nolèbant ferre, ut anima Æthiopis imperiti eodem cum illis frueretur privilegio, ac omni illam expellebant loco. Tandem fortuna ejus voluit, ut auderet è noſtro exire Vortice, & eum locum petere, in quo meditationi operam dat Carteſii Spiritus. Vice ejus ille commotus permiſit, ut ſecum maneret. P. Merſennus huc ſecum duxit, quia fortè uſu foret venturus, jam verò illam apud corpus tuum relinquemus, ut ejus curam habeat.

Hiſtoria ad minimas uſque circumſtantias adeò adcuratè enarrata fidem fecit, vera mihi narrari. Rogo itaque ambos illos ſpiritus, ut veniam darent præcipiti terrori meo: figuram, & colorem, ſub quibus mihi adparuerant, cùm eſſent eadem, quibus utitur vulgò Cacodæmon, ubi ſe conſpicandum præbet, funeſtâ illâ ideâ mentem meam occupâſſe: obſecrare me, ut præſcriberent, quid mihi foret faciendum in eleganti illo itinere, quod mihi proponebant: me ſperare magnos fructus percepturum ex eo, quo me proſequebantur, favore, ac adepturum iſthoc in itinere, & eorum conſortio cognitiones,

quæ

quæ me reliquorum hominum numero forent exemturæ. Tria tibi agenda, aït P. Merſennus.

Primò, mens tibi liberanda præjudiciis infantiæ, & Philoſophæ vulgaris. Eſt enim profectò, quod mireris, illa præjudicia, quæ anima non niſi per ſenſus accipit, tamen adeò validè ejus intellectui imprimi temporis progreſſu, & conſuetudine iis, ut ſui judicii regulâ, utendi. Ita ut animæ à ſuo corpore aliâ cauſsâ, quàm morte ſeparatæ, licèt tempore iſtius ſeparationis independenter à ſenſibus agant, cogitent tamen, judicent, ratiocinentur ſemper juxta ſua præjudicia. Hoc niſi caveris, nullo fructu hoc iter feceris, & paucula hîc didiceris.

Secundò opus eſt, ut, antequam proficiſcamur, huic parvulo ſpiritui mandes, quâ ratione corpus tuum curatum velis. Atque hîc e re eſt te ſcire, poſtquam anima tua ab eo ſeparata erit, omnia conſueto illic peractum iri more, non tantùm naturales quod attinet functiones, verùm & motus, qui in eo producentur ab externis objectis, modò iſthâc ratione comparatam, quâ nunc eſt, linquas machinam. Atque adeò ſi adſueveris ſurgere ad ſonum certi cujuſdam horologii & certâ quâdam horâ, ſimul ac illa audietur hora, motus tympani aurium tuarum cum tuo communicatus cerebro viam aperiet ſpiritibus animalibus ad influendum in muſculos tuos, & producendos in brachiis, in pedibus tuis, ac in omni tuo corpore motus, quos quotidie tu ſoles producere, ut tua ordine veſti-

veſtimenta ſumas, & te veſtias. More ſolito progredietur: per totam gradietur domum, adſcendet, deſcendet. Ad menſam ſe conferet, ubi vox famuli dicentis, paratum eſſe prandium; ejus aures perculerit: comedet, bibet, ac, ut verbo dicam, nullum ex conſuetis omiſſura eſt motibus, cùm ſpiritus animales numquam negligant influere in certa nonnulla corporis loca præſentibus nonnullis objectis, ac per conſequens producant ſemper certos motus in corpore, poſitis certis quibuſdam circumſtantiis. Jam verò in omnibus noſtris externis actionibus, non datur niſi iſto modo productus motus, atque eâ ratione videmus beſtias, quæ profectò puræ ſunt machinæ, æquè ac noſtrum corpus, nobis videri agere eodèm tempore, & adeò diverſimodè, & adeò æqualiter.

Unicum quod metuas incommodum eſt, ſi quiſpiam ex amicis tuis te inviſat; quandoquidem corpus tuum ſine animâ non poſſet converſationi ſufficere, & decenter reſpondere. Nam, ut hoc inter nos dicam, ex ſolâ converſatione nos Carteſiani novimus illa corpora, quæ homines adpellamus, verè homines eſſe, non verò puras machinas; verùm ad eam rem utilis tibi futurus Æthiopulus. Carteſius ipſum edocuit omnes diverſos illos motus, quos conciliare poſſumus glandulæ pineali, ac diverſas determinationes, quarum capaces ſunt ejus ope ſpiritus animales; & cùm vox non formetur in ore, niſi motu muſculorum, linguam moventium, & inferiorem maxillam cum labiis, ac certa vocabula non formentur niſi ope certorum motuum il- *Epiſt. 53 Carteſ Tom. 1.*

 lorum

lorum muſculorum ſpiritus animales pro cauſsâ agnoſcentium, pro diverſis quæſtionibus, quas exempli gratiâ amicus tibi movebit, qui te, abſente tuâ animâ, inviſit, hic Æthiopulus per diverſos motus, quos tum tuæ imprimet glandulæ, ac deinde animalibus ſpiritibus, & muſculis, formaturus eſt certiſſimè in ore tuo verba, quæ tibi pronuntianda, ac reſponſa quæ ad illas quæſtiones danda. Nec metuas, ne committat, ut tuum corpus aliquid ſuo indignum reſpondeat ſpiritu: etenim ſpondeo, quantumvis Æthiopem, nequaquam ita ſtultum eſſe.

Alio præter hunc etiam te gerere modo potes. Opus tantummodo ut corpus tuum in lecto, in quo eſt, relinquas, & in illo deliquio, in quod illud conjiciet quem ſumes Nicotianæ pulvis, ut animam tuam ab eo ſepares. Hoc deliquium, quod in eo conſiſtit, quòd nervi ſenſuum maneant reſoluti, nullâ urgetur conſequentiâ: interea Æthiopulus tuam induet figuram, ac ubique præſtò erit, ubi tu fores, niſi anima tua in itinere eſſet; atque id adeò facilè peraget, & eâdem ratione, quâ ego nunc tibi conſpicior habitu, & Dominus facie, & veſtitu, quibus ipſum videre adſueviſti, ut jam modò tibi explicui. Et ut hoc in tranſitu notes, cernis Carteſianam Philoſophiam docere rationem ſine peccato perficiendi id quod Apollonius Tyaneus, & plurimi alii Magi nequiverunt facere, niſi ſe antè Diabolo mancipâſſent.

Tertiò tandem adſumendum pauxillum Tabaci a D. adlati; ac dein iter ad adeundum Carteſium auſpicabimur.

Poſt-

Poſtquam ſpiritui Merſenni P. egiſſem gratias pro informatione & elucidatione, quam mihi exhibuerat, adjunxi; Quod primum ſpectaret articulum, mei me fidem ipſi facere, ſemper fuiſſe nonnihil ſcepticum circa Philoſophiam Scholaſticam, atque adeò meam mentem liberam eſſe præjudiciis, quibus in eâ vulgò homines occupantur: quod præjudicia attineret infantiæ, lectionem Carteſii me docuiſſe, ut iis diffiderem; ac, dum mecum loqueretur, novam me vim adhibuiſſe menti meæ, ut ſtatuerem nihil credere, quod clariſſimè non conciperem, ex conſilio Carteſii, Non tamen adjunxi aliud meum propoſitum, quod eodem formâram tempore, ſcilicet ut me ſaltem æquè præmunirem contra præjudicia Carreſianorum, ac contra illa vulgarium Philoſophorum, cùm ferè non minùs hiſce illos noviſſem præjudiciis obcæcatos.

Quod corpus meum ſpectat abſente animâ, ſecundum modum eligebam; quandoquidem, dicebam, mi Pater, ille mihi primo ſimplicior videtur. Gratum mihi facis, reſpondet ille, circa Syſtemata hoc unum ex noſtris axiomatibus eſt, ſemper ſimpliciſſimum eligere. At non hæc tamen me ratio ad id adegit, verùm illum obnoxium minori exiſtimabam periculo, nec ſatis perſuaſus eram corpus meum, abſente animâ, adeò dextrè, ac mihi promittebatur, acturum, nec exemplum beſtiarum mihi propoſitum, ullâ fere ratione mentem meam movebat, quæ ſe numquam potuit exuere præjudicio, quod ipſis adſcribit animam ſenſûs & cognitionis capacem. Præterea rogabam

P. Merſennum ut juberet, Æthiopulum ſuum meam adſumere figuram, ut viderem ecquid ipſi id ſuccederet negotium. Ille ſtatim id adgreditur, atque alterum quendam me ad lecti pedem conſpicio, veluti Amphitryonis Soſia alterum a ſe Soſiam ad Dominæ ſuæ conſpicatus eſt januam, ubi ab exercitu redux erat, eo tamen diſcrimine, ut ille alter *ego* qui erat ad pedem mei lecti, honeſtè loqueretur cum hoc *me*, qui eram in lecto; cùm contra Soſia ab exercitu redux egregiè pugnis fuerit exceptus ab *illo*, qui eodem ſimul tempore ad Alcumenæ fores aderat. Præ primis ipſum monebam, ut fores rectè obturaret cubiculi mei, ne quiſpiam id ingrederetur, & ut crebrò corpus meum inviſeret, ac id curaret, ut ſemper commodo ſitu foret poſitum.

Poſt illa ſene meo mihi offerente doſin Nicotianæ, ecquid genuina eſſet, interrogavi. Meminiſſe me ejus quod acciderat Apulejo, quem *quid* pro *quo* in Aſinum transformaverat, interea dum in avem mutatum iri ſperaret. Ajebat unius tantummodo generis ſe habere, atque adeò non eſſe cur vererer falli. Itaque e veſtigio illam ſumſi, atque quater magnâ vi ſternutamentum mihi excuſſit. Dehinc incidi in deliquium animi planè ſimile illi Carteſii, quod antea deſcripſi, ac temporis momento anima mea unico ſuæ voluntatis actu ſe extra corpus ſuum comperiit.

Non omnes hic percurram reflexiones, quas feci ſuper corpore & animâ meâ, ubi a ſe invicem ſeparata fuere. Id tantùm dictutus ſum, ab illo momento me incepiſſe ad animum

mum advertere vim præjudiciorum, & præoccupationis, quæ nobis impedimento ſunt, ne veritatem cognoſcamus; quàm ſapientiæ & rationi conveniens ſit a Carteſio conſilium & diſcipulis ejus nobis datum, ut cautos nos circa ea reddamus; ac ſimul, quàm parùm illi homines curent ut utantur iis conſiliis, quæ aliis dant. Statim enim ab initio duo illi mei Præceptores mihi perſuadere voluerunt, licèt invito, animam in ipſo ſeparationis ſuæ momento ſe vidiſſe in meâ glandulâ pineali. Cùm verò e re non judicarem exordiri cum iis apertè contradicendo, reſpondi, ſeparationem illam adeò ex improviſo factam, ut mihi non licuerit iſtam reflexionem facere. Quæ dicebam, vera erant, ac profectò nihil aliud, quod minùs eos exacerbaret, potui dicere: perfectè enim memineram, & planè mihi perſuaſerat, quod paucos ante dies apud D. Stenonem legeram celeberrimum Anatomicum, qui Carteſium ſummo in pretio habet, eumque conſiderat ut ingenioſum novi hominis artificem, ſed qui monſtrat, & ad oculum oſtendit, illum hominem ab eo quem Deus fecit, omnino eſſe diverſum, glandulam pinealem non ita ſitam, nec aptam eſſe motibus, qui ipſi ex illâ hypotheſi attribuuntur: vaſa, quibus illa cingitur, non eſſe arterias, quæ ipſi materiam animalium ſpirituum ſuppeditent, veluti ſupponit Carteſius, at verò meras venas: per conſequens abſque fundamento ipſi exhibitum privilegium & honorem ſedis animæ; nec fortè illam inſervire majoris momenti functioni, & inſigniori, quàm reliquæ glandulæ, quarum utplurimum munus *Anatome Cerebri.*

non eſt admodum nobile, nec admodum illuſtre in corpore animalis.

Id cogitabam, nec tamen iis indicabam: imò ſimulabam non longè ab eorum ſententiâ abludere, quantum mihi poſſibile. Primus ego feci, ut animadverterent, digeſtionem peragi in corpore meo, licèt anima abeſſet, ſolâ virtute acidi, quod reperitur in ventriculo, quod agitatione ſuarum inſenſibilium partium diſſolvit alimenta, ad inſtar aquæ fortis diſſolventis metalla: partes ab invicem ſeparatas ſubtiliores conſtituere liquorem quendam, ac cremorem, qui chylus appellatur: motum inteſtinorum periſtalticum inſervire detrudendis versùs inferiora craſſioribus, & protrudendo chylo in venas meſenterii lacteas per imperceptibiles poros proportione gaudentes ad figuram partium, ex quibus chylus componitur: calore eodem, qui antea, in corde meo permanente, circulationem ſanguinis continuari ſolitâ ratione iiſdem cum effectis, quæ ſunt nutritio, & bona conſtitutio membrorum corporis remotiſſimorum: ac tandem omnes illos motus peragi ope ſolorum machinæ organorum. Nec eſt, quòd veteris Philoſophiæ propugnatores commoveantur iſthac, quâ hâc occaſione utebar, indulgentiâ: licèt enim hoc abſolutè falſum foret, non tamen poterat non eſſe verum in eo, quo me reperiebam, ſtatu, cùm corpus meum non corrumperetur, animâ inde ſeparatâ. Quòd ſi verò motus & circulatio humorum ceſsâſſent, indubiè corruptum fuiſſet. Ac per conſequens dato, animam meam ſeparatam fuiſſe a meo corpore, veluti ſuppono

pono illam tum fuiſſe, liquidò adparet, omnes ipſius motus in eo peractos fuiſſe, idque ope ſolius diſpoſitionis machinæ.

Tandem abitum parabamus. Interrogo illos, quomodo animæ inter ſe convenirent de hominibus & titulis, quos invicem ſibi exhibebant in converſatione: cùm animæ feminini eſſent generis, hactenus vim mihi feciſſe, dum animam D... nomine Domini compellarem: verùm nec auſum fuiſſe vocare *Domina mea.* Te quod attinet, ad animam P. Merſenni converſus dico, moleſtiam illam evitarem, te adpellando *Veſtra Reverentia.* Evitare etiam poſſes, illa mihi refert, vocando animam D. *Veſtra Dominatio:* utrumquæ Italiæ moribus congruum, nec niſi ex illâ regione ad Gallos tranſmigrârunt; verùm id ne tibi negotium faceſſat, idem nos nomen ſervamus, quod habuimus in mundo, ubi in noſtro corpore verſabamur. Adhuc D. Carteſius vocatur D. Carteſius. D. audit & hìc D.... Ego P. Merſennus dicor, ac tu ipſe etiam vocaberis D.... Nos Carteſiani aliquantò in hâc re Platonici ſumus: etenim ſecundùm Platonem quid eſt homo? Anima quæ utitur corpore: atque potes meminiſſe certi cujuſdam loci, inter alios, methodi Carteſii, ubi dicit; *Attentè examinans quis eſſem, & videns, fingere quidem me poſſe corpus meum nihil eſſe.... contra, ſi vel per momentum temporis cogitare deſinerem, nullam ideo eſſe rationem, cur credam, me durante illo tempore debere exſiſtere... intellexi, me eſſe rem quandam ſive ſubſtantiam, cujus tota natura ſive eſſentia in eo tantùm conſiſtit, ut cogitem; adeò ut ego, hoc eſt, mens per*

quam ſolam ſum is qui ſum, ſit res a corpore planè diſtincta; ac miror, adjungit P. Merſennus, Philoſophos & Theologos Scholaſticos id D. Carteſio largitos fuiſſe, illumque articulum non adpoſuiſſe numero errorum ejus, qui ab ipſis objiciuntur, præſertim cùm D. Arnaldus in tranſitu hanc reflexionem fecerit. Verùm adcingamur, inquit, feſtinemus, en ultra dimidiam horam hìc perdidimus. Tempus pretioſum eſt. E veſtigio itaque aëra petit juxta cum animâ ſenis. Atque ego, nihil ulteriùs perpendens, eos ſequi adgrèdior.

ITER PER MUNDUM CARTESII.

PARS SECUNDA.

COelum erat ſerenum valde, perpurus videbatur aër, pleno luna refulgebat orbe, ſplendebantque ſtellæ, uti adparebat, more inſolito, idque mihi ſummam excitabat cupiditatem propiùs contemplandi luminoſa illa corpora, quorum ſplendor, magnitudo, numerus, diſpoſitio omnibus hominibus admirationi ſemper fuere, exſtiteruntque digniſſimum ſtudiorum & meditationis Philoſophorum objectum, ac clariſſimum Divinitatis argumentum. Interea duces mei moram mihi injecere in turri aliquot perticas ſupra reliquam urbem elatâ, ut mihi commonſtrarent naturam aëris infimæ hujus regionis, ac partium illam conſtituentium. Incipe, aït ſenex meus, propriâ tuâ experientiâ cognoſcere veritatem dogmatum Carteſii in explicatione naturæ entium corporeorum. Agnoſce, quod dicit in quarto ſuorum Principiorum libro, *aërem nihil aliud eſſe quàm conge-*

riem particularum tertii elementi, tam tenuium & a ſe mutuo disjunctarum, ut quibuslibet motibus globulorum cœleſtium obſequantur. En, quâ ratione particulæ primi Elementi ubique admiſtæ ſint, ac repleant omnia intervalla, quæ exigui globuli, ac ramoſæ partes inter ſe relinquunt: quomodo fluiditas hujus corporis æquè ac reliquorum, quæ adpellantur liquida, conſiſtat in motu partium ejus inſenſibilium, quæ liberè in omnem moventur partem. Quoniam enim illæ omnes in motu ſunt conſtitutæ, & determinationibus pleræque admodum diverſis ſunt præditæ, duo facilè concipi queunt. Primum eſt, ſimulac corpus liquidum non ampliùs includitur & continetur ſolido corpore, versùs omnem exundaturum partem, quandoquidem partes ejus in omne agitantur latus; ſecundum, ſi corpus durum permeare fluidum adgreditur, facilè ſeparaturum partes ejus omnes, quas in motu conſtitutas offendit; etenim ad eas ſeparandas opus eſt tantummodo, ut iis conciliet determinationes ex parte diverſas ab illis, quas habebant antea. Certum enim, ubi corpora, ac præſertim exigua corpora in motu verſantur, & in motu adeò vario, ac eſt ille, in quo ſunt exiguæ illæ particulæ, nihil facilius eſſe, quàm novas iis exhibere determinationes, ac proinde, facillimum eſſe dividere corpus liquidum, & illud permeare. Jam verò hæc duo phænomena corporis liquidi adeò adcuratè cùm explicentur & perſpicuè, ut vides explicari ope principiorum Philoſophiæ, Philoſophi Scholaſtici magnam ſibi apud me auctoritatem conciliarent, ſi me adigerent ad agnoſcendam liquiditatem.

tatem pro abſoluto accidenti, diſtincto a motu particularum corporis liquidi inſenſibilium.

Quantumvis ego pronus eſſem ad vulgarem Philoſophiam propugnandam, fateor illud ratiocinium ſimul cum iis, quæ ipſemet cernebam, non levem impreſſionem in mente meâ egiſſe. Etenim licèt non perciperem exiguos illos ſecundi Elementi globulos, de quibus mecum agebat, atque id reverâ mera illuſio eſſet animæ illius dementatæ, ut qui maximè, ideis & præjudiciis Carteſianiſmi, non poteram tamen, quin agnoſcerem in aëre exiguas illas partes inſenſiles disjunctas ab invicem, ex quibus liquida componuntur indubiè corpora. Clarè in eo conſpiciebam materiam illam ſubtilem, quam ipſe agnovit Ariſtoteles nomine Materiæ Æthereæ, quamque ubique diſperſam, & vehementiſſimo agitatam motu docet. Dein non poteram non agnoſcere explicationis ἀκρίβειαν, quam mihi exhibebat proprietatum corporis liquidi. Fateorque quòd ſi Philoſophia Carteſii in omnibus reliquis adeò rationi foret congrua, quàm adparet in hâc re, forſan nonnihil ad Carteſianiſmum vergerem. Miſsâ itaque diſceptatione de globulis ſecundi Elementi, aliiſque nonnullis difficultatibus mentem meam tunc ſubeuntibus, quas iis proponere nolebam, in reliquis omnibus duobus meis itineris comitibus egregiè os oblinebam. Hoc eſt circa materiam ſubtilem; & materiam hamoſam & ramoſam, quam illorum dialecto paſſim materiam primi & ſecundi vocabam elementi. Explicationi liquiditatis plauſum valde dabam,

multùm laudando ejus exactitudinem & ſimplicitatem. Verùm caſus interveniens mutandis ſermonibus noſtris anſam dedit, mihique omnem fere fructum eripuiſſet prioris meæ civilitatis.

In ſummâ, quâ morabamur, turri exigua quædam conſpiciebatur mola, quæ ventorum indicis præſtabat vicem, ſeptem pollicum diametro, ex chalybe confecta; tenuiſſima, & leviſſima, alis admodum æqualibus, & perpolito axe, ita ut vel minimus venti flatus illam in motum concitaret, ſimulque circumagi faceret, ad plagam venti indicandam, virgam incurvatam ferream, cujus finis molæ conſtituebat axem. Fortè fortunâ ex Manipulo Helvetiorum miles in Urbem modò adveniens ſclopetum ſuum in aërem exploſit. Duobus erat inſtructum globulis, quorum alter delatus versùs extremitatem unius ex molæ alis, leviter illam perſtrinxit; nihilominus tamen vehementem admodum, & diutiſſimè perſeverantem ipſi impreſſit motum. Globulus pergebat moveri fere juxta eandem lineam, & quàm minimum aberat, quin eò uſque & æquè citò ac alter globulus, qui molam non tetigerat, progrederetur. Eſt cur ultimam hanc addam circumſtantiam. P. Merſennus hanc occaſionem non ſprevit mihi demonſtrandi aliud Carteſii principium. Cernis, inquit, illam molam, quòd ſi globulus in tranſitu illam non attigiſſet, cùm ventus ne minimum quidem ſpiret, putaſne non ampliùs in quiete remanſiſſe, ſed ex ſe ipsâ fuiſſe motam? Non planè, reſpondeo. Atque ille, in quo modò verſabatur, ſtatus nequit muta-

mutatus fuiſſe in illum, in quo nunc eſt, niſi ope cauſſæ cujuſdam externæ, quæ illam induxerit mutationem. Jam verò, addit, cùm ſit in contrario planè ſtatu, exiſtimaſne, poſſe illam deſinere in eo eſſe, abſque determinatione alterius cujuſdam cauſſæ, quæ in ipsâ deſtruat motum, ſicut globulus deſtruxit quietem. Ad hæc ego, mi Pater, hæc mihi quæſtio alterâ videtur ſolutu difficilior. Semper audivi, tanquam indubitatum Axioma, omne corpus motum ad quietem tendere, velut ad ſuum finem. Condono tibi, refert ille, ineptias iſtas philoſophicas, omne corpus in motu conſtitutum tendit ad quietem, velut ad ſuum finem. Corporine eſt ratio quædam, & voluntas, ut habeat, quem petat, finem? Verùm, ſi hæc propoſitio aliquo ſenſu ferri poteſt, nil aliud vult, niſi in ſitu & diſpoſitione, quâ gaudent inter ſe invicem in mundo corpora, corpora ſenſibilia quæ in eo moventur, perdere reverâ ſenſim motum ſuum ope reſiſtentiæ aliorum corporum, cum quibus illum communicant, ac tandem in quiete reperiri. Quippe, ſi nihil illum deſtrueret motûs ſtatum, ſemper ille perſeveraret. Atque id eſt, de quo te convincere geſtio exemplo hujus fortè fortunâ nobis oblatæ molæ.

Quòd ſi hæc mola in mediâ moveretur aquâ, veluti nunc in medio vertitur aëre, patet, motum ipſius citò deſtructum iri ab ingenti illâ reſiſtentiâ, quam offenderet in aquâ. Si binæ ex ejus alis aliis binis multò longiores, latiores eſſent & graviores, citiùs adhuc ceſſaret motus: quandoquidem illa

inæqualitas nova foret cauſſa majoris præterea reſiſtentiæ. Tandem, ſi ad hæc omnia accederet axis, circa quem vertitur, admodum magnus, male politus, ac rubigine obſitus, adhuc promtiùs motus ceſſaturus foret, ſimilem ob rationem. Verùm, quia in aëre exſiſtit, eoque ſatìs puro, quia in perfectiſſimo æquilibrio ſunt conſtitutæ ejus alæ, axiſque eſt admodum tenuis, politus valdè, & limatus, minorem reperit reſiſtentiam, motuſque ejus eſt major & diuturnior. Super hoc negotio hâc argumentandum eſt ratione. Magna reſiſtentia multum deſtruit motûs. Minor minus. Minor adhuc, adhuc minus. Igitur, nulla ſi foret reſiſtentia, motus non deſtrueretur. Igitur ſemper duraret. Igitur, veluti corpus in quiete perſeverabit, quamdiu nulla cauſſa externa illud de poſſeſſione iſtius ſtatûs deturbat, pari ratione in motu perſeverabit, quamdiu nulla externa cauſſa illi eſt adverſatura. Atque adeò en magnum Carteſii principium conſtitutum: Corpus ex ſe ipſo permanere in quo poſitum eſt ſtatu. Si quieſcit, æternùm quieturum. Si figuræ ſit triangularis, æternùm triangularis permanſurum figuræ. Si in motu conſtitutum, perpetuò motum iri. Verùm porrò hoc principium non eſt Carteſio ſingulare, ante ipſum Galilæus, Gaſſendus, Hobbes, Maignan, &c. ut verum ſuppoſuere. Ac memini, dum materiam colligerem meorum in Geneſin Commentariorum, ubi plurimas inſerui Diſſertationes Philologicas, Philoſophicas, Aſtronomicas, me plura uno loca notâſſe Ariſtotelis, ubi docet, vel ſupponit hanc doctrinam. Atque e ſubtiliſ-

ſimis

ſimis Philoſophis Scholaſticis Vaſques eam prolixè admodum probavit, quod ad motum ſpectat. Tamen poſſumus dicere, neminem plus ponderis ei addidiſſe, vel dexteriùs & feliciùs eam adhibuiſſe Carteſium præter. Atque exinde ad ipſum præ aliis ejus inventæ honos refertur.

Mirum quàm ejuſdem tecum mentis ſim, reſpondeo. Generale hoc principium profectò illorum e numero, quæ mens admittit abſque ullâ violentiâ, atque illa difficultas, quæ occurrit, ubi illud adplicare conamur corporibus conſideratis in motu, ex falsâ tantùm oritur illâ ideâ, quam vulgò habemus, *Modorum* in Philoſophicis adpellatorum, ac ex eo, quòd concipiamus motum veluti ens poſitivum, & quietem tanquam privationem ejus, licèt motus non ſit ens, nec quies entis privatio, ſed ambo diverſi & oppoſiti ſtatus, quorum capax eſt corporeum ens. At verò, mi Pater, iſta mola ingentem mihi injecit ſcrupulum, quem exemtum meæ cuperem conſcientiæ. Spectat autem aliud quoddam Carteſii principium, circa motum. Perpende, ſi lubet, globulum, qui molam leviter tantùm perſtrinxit, nihil aut fere nihil perdidiſſe ſui motûs, æquè longè progreſſum fuiſſe, ac viſum perveniſſe ad motûs ſui terminum eodem tempore vel fere, quo alter, qui non attigit. Dein maximum impreſſit molæ motum. Quippe, ſive quantitatem motûs metiamur magnitudine maſſæ & ſuperficiei corporis moti; ſive metiamur magnitudine Spatii quod corpus confecit, in magno illo circulorum, quos deſcripſit, numero, medio licèt, in quo movetur,

vetur, reſiſtente: ſive tandem conſideremus celeritatem iſtius motûs, liquidò adparet globulum multò plus cum molâ iſtâ communicâſſe motûs, ac ipſe perdidit. Contra verò, ſi iſtam molam ſupponamus in eo ſtatu, in quo illam ab initio ſuppoſuiſti, ut mihi propoſitionem Carteſii demonſtrares, hoc eſt, ſupponamus, illius alas in æquilibrio non fuiſſe, nec æqualis magnitudinis, axem permagnum, male politum, & rubiginoſum, globulumque impegiſſe ratione minùs obliquâ in unam ex alis, certum eſt, iſtis poſitis circumſtantiis, globulum multò plus perditurum fuiſſe ſuæ celeritatis, & motûs, & impreſſurum vel communicaturum minus cum molâ, quàm nunc communicarit. Quid itaque hìc fiet magnis iſtis Carteſii principiis: Corpus aliquid communicare cum alio tantum motus, quantum perdit: nec præciſè plus, quàm communicat, perdere. Etenim hìc globulus communicat multum, parum perdit, ac in alterâ ſuppoſitione multum illius perdit, & parum communicat. Verùm quid fiet de aliis illis magnis axiomatibus, quæ fundamenta ſunt Phyſices, ac totius ipſius ſyſtematis mundi? Deum in creatione hujus mundi, vel materiæ, ſimul creâſſe certam quandam quantitatem motûs, vel tranſlationis ex uno in alium locum, ut ipſe loquitur, quæ ſemper in eo eadem eſt, nec creſcens, nec decreſcens, licèt partes illam componentes nunc plus nunc minus habeant, quia quod hæc perdit, neceſſariò in aliam transfertur. Deum eſſe cauſſam univerſalem omnis motûs, qui in mundo fit. Creaturas nul-

Part. 2. Princip.

Ep. 72. Tom. 1.

lum motum producere, ſed tantummodo determinare illum, qui jam productus eſt, &c. Etenim, ſi corpus quoddam plus quàm habet, communicat motûs, neceſſum eſt Deum, vel ipſum corpus, producere illud plus de novo: & ſi corpus plùs motûs, quàm communicat, perdit, opus eſt, ut id quod perdit, nec communicat, adnihiletur. Hocque ſufficit ad demonſtrandum, quantitatem motûs non ſemper eandem eſſe in mundo, contrà verò illam ſingulis momentis augeri & imminui. Ut uno verbo dicam, videmus hic magnam materiæ partem nunc temporis celerrimè moveri, quæ antea non movebatur. Volo in æquilibrio fuiſſe, ac admodum facilem concitatu in motum, nihil hoc refert, manet tamen ſemper verum, novam tranſlationem communicatam cum notabili materiæ parte: illam tranſlationem magnam eſſe, quandoquidem magnam materiam per valde magnum ſpatium transfert; ac interea globulum pauculum tranſlationis perdere, quandoquidem ipſe transfertur fere tam longè & tam citò, ac tranſlatus fuiſſet, ſi nihil communicâſſet. Quod in hoc negotio majoris mihi momenti videtur, Dei immutabilitatem hujus intereſt: ratio enim, cur Carteſius velit Deum ſemper conſervare eandem motûs quantitatem in mundo, eſt quòd ſit immutabilis. En, quò nos deduxerit mola noſtra. At verò, quàm dolendum, ſi hujus molæ exemplum, ſubruens hoc principium quantitatis motûs, planè peſſumdet egregias illas ſeptem regulas motûs, quas Carteſius con-

conſtituit calculo adeò exacto. Supponunt hoc tamen illæ, nec niſi hâc favente ſuppoſitione ſubſiſtunt. Hæc nihilominus non obſtant, ne illarum explicationem his notatu dignis concludat verbis. *Nec iſta egent probatione, quia per ſe ſunt manifeſta.*

Part. 2. Princip.

Verùm ne immorer deducendis aliis conſequentiis, videor mihi, R. P., ſaltem aliquâ cum ratione poſſe dicere, Carteſium hîc non rectè ſervaſſe conſilium ſuum ſalutare quod ceperat in ſuo Hypocauſto Germanico, ubi Philoſophiæ operam incipiebat dare; ſcilicet, ut præprimis caveret a præcipitantiâ in judiciis ſuis: ne umquam ullum principium poneret, niſi omni, quâ fieri poterat, diligentiâ illud examinâſſet, ſibique evidentius reddidiſſet clariſſimis Geometricis demonſtrationibus: ut ita omnia obſervaret, ac analyſim conficeret exactam adeò omnium propoſitionum, quas eſſet prolaturus, ut certus eſſet, nihil ipſum fugiſſe. Quippe ſi omnes illas adhibuiſſet cautiones, antequam ſuam doctrinam de motu propoſuiſſet, mola veſtra, ac id genus infinita exempla alia fortean ipſius mentem ſubiiſſent, ac fortaſſis mutâſſent, vel ſaltem impedimento fuiſſent, ne *hæc ipſi probatione non viderentur egere, quia per ſe eſſent manifeſta.*

Meth. p. 16. & 37. Ed. Gall 11, 29. Lat.

Jam animo prævidebam fore, ut hicce ſermo meis comitibus non arrideret; ac certò ſcio ſenem meum jam incepiſſe pœnitentiam agere, quod P. Merſenno pro me ſpopondiſſet, veluti pro homine qui cæco impetu, & ex omni animo ſe Carteſianiſmo foret mancipatu-

paturus. Interea Pater ille admodum honeſtè mihi reſpondet, ſe in omni meo ſermone tria obſervâſſe: malignitatis nonnihil in meis animadverſionibus, multum falſorum præjudiciorum, quibus me nondum exueram, quantumvis contrarium ipſi adfirmâſſem, ac reipsâ nonnullas difficultates, de quibus ut lucidiùs inſtruerer à Carteſio erat neceſſum. Verùm quantumvis ingentes illæ tibi videantur, addit, evaneſcent, ſimulac cum illo collocutus fueris. Ipſemet centies expertus ſum: nemo umquam ipſi tot quæſtiones movit, ac ego, in omni materiâ, & eò uſque, ut ipſi moleſtus eſſem. Illæ difficultates mihi nonnumquam inexplicabiles adparuere; at verò vel unica unius paginæ Epiſtola, quam ad me dedit, omnem meam diſcuſſit dubitationem, & majorem mihi lucem in ſubjecta fœnerata fuit materiâ, qàm integra aliorum volumina. Objecta mihi præjudicia præter exſpectationem non accidebant, id enim ſolitum Carteſii, ejuſque Diſcipulorum aſylum, ubi ſe nonnihil urgeri ſentiunt. Non tamen ipſum urgebam ſuper iſthâc re: malignitatem tantùm, quam meis animadverſionibus tribuebat, arcebam; ac ad ſpem, quam mihi ſubjiciebat ſolutionis mearum difficultatum exhibendæ a Carteſio, adjungebam, beas me, mi Pater, animò enim jam ſum Carteſianus, licèt nondum planè ſim mente, utpote ſufficienti deſtitutus lumine ad me extricandum omnibus iſtis dubiis, quæ lectio voluminum magni illius hominis mihi injecit: veritatem ſincerè amo, ac confide me illi manus daturum, ſimul ac illam mihi monſtrârit Carteſius.

Hoc

Hoc aſſerto nonnihil apud illos in priorem gratiam dum videor mihi redire, iter noſtrum proſequimur: ac e re eſt, hîc lectorem meum ſemel pro ſemper moneam, has diſputationes & hos ſermones, quos hic adfero, quantumvis prolixi in chartâ adpareant, momentum tamen duntaxat temporis duràſſe, quandoquidem ſeparati Spiritus longè aliâ ratione inter ſe ſermones ſerunt, quàm ubi in corporibus ſuis verſantur, quorum lingua unicam tantùm ſimul valet ſyllabam pronuntiare. Unicum modò ſpirituale vocabulum, quod anima ſeparata alteri dicit animæ, plures exprimit res, quàm mille pronunciata vocabula, vel ſcripta poſſint intellectui ſubjicere auditorum, vel lectorum; & ex quo hoc iter obii, plurima quàm optima addidici, ad explicandum modum, quo inter ſe ſermocinantur Angeli. Nec eſt cur deſperem, ne aliquando aliquid ſuper hoc negotio typis mandem. Verum eſt, me in illis multa dicturum, quæ non intelligentur, quia inſolita ſunt: ſed meus liber eam ob rationem fortè non ingratior erit, poteritque eâdem fortunâ frui, quâ illi Theologiæ Myſticæ libri, qui jam ab aliquo tempore adeò obtinent, atque id exinde ſolùm, quòd illos qui legunt non intelligant, quique componunt intelligere ſe ſimulent. Etenim jam ſatìs innotuit experientiâ, auctores iſtorum librorum non ſemper adeò Sanctos eſſe, ac videri conantur.

Igitur e ſummâ turri recedimus, vel antequam in gyrum agi deſiiſſet mola, & versùs Lunæ globum tendimus. Inenarrabili fruitur anima mea gaudio, dum ita in aëre ſublimis fertur,

fertur, erratque in vaſtis illis ſpatiis, quæ non niſi oculis percurrere, ubi corpori foret unita, ipſi datum fuit. Atque hæc voluptas alterius mihi ſubjiciebat memoriam, quâ ſcilicet nonnunquam frui eram ſolitus in ſomnis, dum mihi imaginabar per inſomnium in aëre ingenti paſſu progredi, intactâ terrâ, quam ſupra elatum credebam me cubitorum multorum ad altitudinem.

In itinere offendimus maximum numerum animarum ſeparatarum omnium nationum, imò vel Lapparum, Finnorum, Brachmanorum; atque tum in memoriam revocavi, me reverà legiſſe diverſis in libris, arcanum ſeparationis animæ a corpore iſtis notum fuiſſe populis. Verùm ad quinquaginta fere milliarium ab illâ Planeta diſtantiam, regio eſt admodum habitata præ primis a Philoſophis magnam partem Stoïcis. Atque inde, uſque dum e Globo Lunæ egrederer, reperi, quo falſitatis inſimulem Hiſtorias circa plurimos homines, quos mortuos ſupponunt, more aliorum, licèt æquè mortui ſint, ac Carteſius. De nonnullis in ſequentibus ſum locuturus.

Olaüs Magnus l. 3. c. 17. Tertull. de animâ.

Luna, ad inſtar Telluris, ſuâ gaudet Athmoſphærâ, altitudine fortè trium milliarium Gallicorum. Cùm illam ingredi paramus, cernimus ſatìs e longinquo tres animas, quæ admodum ſeriò inter ſe colloquebantur. Exiſtimamus, eſſe alicujus notæ animas, ex illâ reverentiâ, quam plurimæ illas concomitantes iis viſæ fuerunt exhibere. Itaque rogamus, quæ forent, reſponſumque, Socratem eſſe, Platonem, & Ariſtotelem, qui iſthoc loco convenerant, communis cauſſæ ergo.

ergo. Edoctos certis nuntiis e noſtro Mundo, Venetos Turcis eripuiſſe, non tantùm antiquam Peloponneſum, verùm & celebres Athenas, ubi tres illi Philoſophi tanto ſplendore olim fuerunt conſpicui: jam modò illos decreviſſe in ſuo conventu, ſimulac in his regionibus adpareret alicujus nobilis Veneti anima, illam obteſtari, ut ſuam rem Generaliſſimo Mauroceno, Venetæque Reipublicæ commendaret, ac rogaret, ut ſtatuæ demum erigerentur illis dicatæ ab Athenienſibus antea, inſtaurarentur Academia & Lyceum, cum omnibus privilegiis, ac de novo in Prytaneo collocarentur marmora, quibus inſculpta erat Socratis apologia, cum diris illis & inprecationibus dictis Anyto & Melito, qui ipſum capitis damnari curaverant: quòd ſi victricia ſua arma uſque in Macedoniam protuliſſent, non minorem curam haberent Stagiræ, nunc *Liba nova*, ac Alexander Magnus habuit ſuo tempore in gratiam præceptoris ſui Ariſtotelis, cujus erat patria. Miror equidem, aït ad nos converſus P. Merſennus, quòd hos Philoſophos hìc videamus: numquam de iis hìc inaudivi, & numquam in meis itineribus iis obviam ſum factus. Verum quidem me animadvertiſſe in meis in Geneſim commentariis, Platonem, & Triſmegiſtum aliquando ſe corporibus ſuis ſubduxiſſe, ut commodiùs ſummum bonum contemplarentur: ac Socratem, referente apud Platonem Alcibiade, crebris obnoxium fuiſſe iſtiuſmodi exſtaſibus. Præterea fateor, me numquam adeo inſaniviſſe, ut crederem Ariſtotelem ejus fuiſſe dementiæ, ut ſe prono capi-

capite in Euripum conjiceret, præ furore & deſperatione, quia nequibat capere fluxum & refluxum maris, multaque, quæ apud illum Philoſophum legeram, ſuſpicionem mihi moviſſe, annon illi notum foret ſeparationis arcanum, verùm operam non dedi ut ſcirem, an illi ſuo uſi fuerint arcano, ne morerentur. Videbimus, addit, ſicut Carteſius conſtituit ſui Mundi exſequi quam fecerat ichnographiam, dum adhuc in terrâ verſaretur, Platonem etiam ſuam decreviſſe conſtituere Rempublicam, conſediſſeque in aliquo loco vaſtorum illorum habitatoribus vacuorum ſpatiorum, quæ ultra Cœlum exſiſtunt, ubi coloniam ſeparatarum animarum duxerit, componendo ſuo regno.

His ſuppoſitis, inquit noſter ſenex, Luciano non admodum fidi ex altero Mundo erant nuntii, cùm in ſuis mortuorum Dialogis, adeò frequenter de Socrate loquitur, tamquam de eo, qui ſtygiam paludem Charontis tranſvectus fuerat cymbâ, ac veluti priſco inferni habitatore. Atque mei Domini, regero, quid dicetis de novo noſtro Luciano, Auctore ſcilicet novorum dialogorum mortuorum, qui Carteſium audacter locat apud inferos, ac cum Pſeudo-DemetrioMoſcoviæ ſermones ſerentem exhibet? profectò ille Auctor feſtivum caput eſt, qui credat, quoniam in iſthoc opere pulcherrima enarrat, ac ſelectiſſimis hiſtoriis nos oblectat, qui credat, inquam, iſtâ ſpecie ſe jure gaudere omnes nobis exhibendi imaginationis ſuæ ludos, nullâ habitâ veritatis ratione. Carteſium in inferno locare, dum ultra Cœlos verſatur, nonne

Novi Dialog. Mortuorum.

none eſt, ut loquar ſtylo parœmiali noſtri amici D..... *Aberrare toto Cœlo?*

Interea adpropinquantes tres illos Philoſophos conſpicimus. Conſtat eos fuiſſe ex honeſtiſſimis omnium illorum, qui Philoſophi nomine apud antiquitatem inſigniti fuere, atque ſemper admodum diſtinctos ab fece iſtâ Sophiſtarum & Cynicorum, qui magnam partem meri erant præſtigiatores, nomenque & famam ſapientium haud adipiſcebantur, niſi ab profligatiſſimas ineptias. Incipit Socrates prior honeſtè compellare. Videre ſe quidem Gallos nos eſſe non tantùm ex eo, quòd adpuleramus itinere Galliæ, verùm etiam quòd agnoſceret in nobis characterem & genium iſtius nationis: eſſe populum hunc eorum, quos orbis nunc habet, politiſſimum: licèt exiguum ſibi intercederet noſtro cum Mundo negotii, ſatis tamen eſſe, quò illa ſpecialia ſciret. Hinc cauſam adventûs, & quò tenderemus, exquirere.

P. Merſennus, reſponſum in ſe ſuſcipiens, ad hæc, nos inviſum ire ex amicis noſtris quempiam, ſatis procul inde commorantem, ac nobis gratulari, quòd in tranſitu poſſemus humillima noſtra officia præſtare hominibus, qui Antiquitati admirationi & gloriæ fuerant, quorumque nomina poſt elapſa bina annorum millia adhuc nota erant, & omnium orbis terræ nationum veneratione fruebantur.

Mortui nos eſſe in hâc regione perhibemur, refert Socrates: omnino, reſpondet P. Merſennus, ac ego ipſe in vulgari illo errore verſatus fui. En verò duos illos D.D., nos indicans, qui adhuc inferiorem mundum colunt, & qui

qui in hâc re homines erroris convicturi ſunt. Me quod attinet, reſpondet ille, non id dolebo; ac oportet ut notum ſiet, animam Philoſophi mei commatis non exſpectâſſe mandata factionis facinoroſorum Judicum, ac plebis clamores concitatæ invidiâ, & ſcurrilitate ſcelesti Comici. Igitur, audi, quomodo res geſta ſit. Cùm ſcirem furorem & auctoritatem inimicorum meorum, ſimulac me in carcerem conjectum reperi, corpori me meo ſubduxi, genio meo familiari præcipiens, ut id me abſente occuparet, & ad finem uſque ſe conſtantem exhiberet; eram enim magìs de ipſo, quàm de me perſuaſus, quantumvis magnam apud me experirer conſtantiam. Rectè mandata curavit; nec in mundo oblivioni datam putem conſtantiam, quam in facie & verbis meis exhibuit, ubi decretum mortis meæ pronuntiatum iverunt, intrepiditatem, quâcum e carnificis manu potionem cicutæ ſum viſus ſumere, quæ corpus meum veneno enecuit, ac tandem inimicorum meorum furorem, qui parùm aberat, quin præ ſtomacho rumperentur quòd me ad extremum uſque Philoſophum cernerent. Verum, inquam adhæc ego, poſtremam illam actionem vitæ tuæ magnum tibi hodienum etiam honorem apud homines conciliare; nec putem ſatis è gloria tuâ futurum, ſi nimiùm celebremus veritatem iſtius facti, quod nobis modò enarrâſti. Nil refert, reſpondit, veritatem gloriæ antehabeo, ac illius me ultrà quàm ipſius mei intereſt. O egregium reſponſum, exclamo. Totam exhaurit orationem, quam habuit genius tuus ad amicos, ut de morte tuâ illos conſolaretur; & curabo profectò

ut debitus ipſi exhibeatur honos. Quòd ſi noſtri Mundi eleganti ille ingenio hoc audiviſſet, profectò in Sanctorum te relaturus fuiſſet Canonem, qui legens hiſtoriam tuam, vix ſibi temparavit ne te invocaret, diceretque: *Sancte Socrates, ora pro nobis.* (Nota eſt illa Eraſmi ineptia) Ipſe etiam Socrates indignam admodum rem judicavit.

Dehinc, Ariſtoteles nobis etiam in mandatis dedit, ut hominum animis excuteremus varios falſos rumores, qui de morte ejus ſparſi fuerant. Dum hi dolore colico exſtinctum adſerunt: alii ipſummet veneno ſibi mortem conſciviſſe: alii, ſe præcipitem in Euripum dediſſe. Atque hi ultimi a veritate quàm proximè aberant. Enarrat itaque nobis, quâ ratione, poſtquam favori Aulæ excidiſſet, indeque fuiſſet propulſus, ob ſuſpicionem, quâ credebatur fuiſſe in partibus Calliſthenis amici ſui necem Alexandri molientis, Athenas ſe contulerit, ubi Scholam Philoſophiæ habuit: ibi accuſatus Atheïſmi, æquè falſò ac Socrates, a ſacerdote quodam Cereris, coactus fuerit Chalcidem petere: aliquando dum exſpatiatur ad Euripi ripam, ſecumque recordatur omnium pulchrarum illarum, quas perdiderat, occaſionum magnam ſortem adquirendi: dum omnes ſuas ſpes conturbatas conſpicit, nihilque reſtare cernit quod faciat in Aulâ, vel Athenis, inde pronatam moleſtiam ipſum adegiſſe, ut mundo valediceret: ac in eum finem arcanum adhibuiſſe, quod ab Æſculapio fuerat edoctus, a quo rectâ lineâ deſcendebat per Nicomachum Patrem ſuum, olim Regis Amyntæ Alexan-

Alexandri avi, Medicum :arcanum illud, inquam, adhibuiſſe, ad ſe a corpore ſuo ſeparandum, quod alicubi reliquit, ubi fluxus maris cùm adſcendiſſet ſecum rapuit. Reperto ſubmerſo ejus corpore ſuam quiſque protulit conjecturam. Aulici, quibus notum quàm profundam impreſſionem efficiat in mente hominis, aulæ qui ſe addixit, amiſſus favor, quique ultrà, quàm vulgò exiſtimatur, tentantur lubidine ſuſpendio vitam finiendi, ſatis pro ratione ſuper hoc negotio ratiocinabantur. Verùm Ariſtotelis diſcipulorum prævaluit opinio. Iſthoc tempore iis explicabat quæſtionem de fluxu & refluxu maris. Confeſſus iis fuerat, haud tamen pro more ejus, ſe non admodum clarè illum fluxum percipere, idque magnopere dolere. Hinc concluſerunt, abſque ullâ hæſitatione, cauſſam id fuiſſe ipſi deſperationis. Ex eorum aliquis numero ad diverſa loca Græciæ litteris hoc audacter perſcribebat. Ac veluti ſi ponè ipſum, quo tempore ſe in aquam conjiceret, fuiſſet Ariſtotelem, adjungebat verba, quæ ad mare converſus pronuntiârat præcipitem ſe dans: *Quoniam te non poſſum capere, me cape.* Lepida viſa fuit antitheſis, fecitque ad divulgandam hanc famam. Atque hâc duce ad nos uſque pervenit.

Profectò mira in his particularibus reperiuntur, æquè ac in illis Hiſtoriæ Socratis; multaſque ex iis circumſtantiis fruſtra quæras apud Auctores, qui de iis ſcripſerunt. Idque ſpem mihi facit, fore ut publico gratiſſimæ futuræ ſint; quandoquidem exinde plurimi Hiſtoriæ ſcriptores noſtro tempore ſibi famam quæſierunt, & aliorum ſe numero eximunt: Para-

doxa in materiâ hiſtoricâ regnant magis quàm umquam: manuſcriptum aliquod, quod contrarium adſerit ejus, quod hactenus exiſtimavimus, præprimis ſi maledicum eſt, tantùm non ſemper primas præ aliis fert. Extracta quæ mittuntur ad Auctores Ephemeridum Hollandiæ & Novorum Reipublicæ Litterariæ ad conciliandum Libris pretium, vulgò nihil continent præter nova iſthæc atque ſtupenda inventa. Etenim manuſcripta non ſunt, quæ cito in quibus cautione omnium opus eſt: verùm teſtimonium hominum qui hiſtoriæ conſtituunt ſubjectum, quique ipſimet vel fecere, vel fuere paſſi, quæ narro: provocoque omnes Angliæ Burnetos, quò me hîc falſi convincant auxilio Hiſtoriarum Regni Lunæ.

Plato autem nobis retulit, non admodum ſe curare, quid de ſe homines cogitent, gratiaſque nobis referre pro oblatis officiis. Verùm experientiâ perſuaſi fuimus de veritate conjecturæ P. Merſenni, circa Rempublicum Platonis. Ac ſi ille Pater meliùs aliquantùm edoctus fuiſſet ea, quæ in Lunæ globo accidunt, non admiratus foret, quòd Platonem & Ariſtotelem obviam nanciſceretur, iſthoc, quo illos reperiebamus, loco; cùm ille re verâ ibi ſuam fundârit Rempublicam, hic ſuum Lyceum, & conſpiciantur utraque deſignata in iſtius Regionis Tabulis, adcuratiſſimè delineatis a P. Grimaldo e Soc. Jeſ., dexterrimo hujus ſeculi Mathematico. Nil certi cognovimus de habitatione Socratis: at equidem proximum vero eſt ejus conſuetam ſedem eſſe in Republicâ cari ſui diſcipuli Platonis.

Tabula Seleno-Graphica.

Poſt

Poſt breve hoc colloquium, ubi veniam ab iſtis Dominis petimus, rogat nos Socrates, quemnam noſtrum amicum viſum iremus. Reſpondet P. Merſennus, Carteſium adpellari. Carteſium! refert Ariſtoteles. Illum Lymphaticum, qui ex quo hîc advenit, ultra triginta anni ſunt! Illum omnium Philoſophorum graculum, qui ipſum hîc ferre nequierunt, & hæc loca linqnere adegerunt! Lepidiſſimum profectò caput eſt, qui tam dictatoriè, & tanto, ut fertur, cum contemtu mecum egit. Mecum, qui Præceptor fui maximi Principis, maximique, quem umquam orbis vidit, Victoris! Mecum, cui Philippus & Olympias ſtatuas erexere! Mecum, qui Athenis Philoſophiam docui, qui tot conſcripſi Volumina, in quem tot exſtitere Commentatores! Mecum, cujus verba tamdiu pro oraculis & decretis in Scholis habita. Mecum denique, quem omnes Philoſophi a ſuis partibus eſſe honori ducunt, nolentes, imò neutiquam auſi confiteri, me ab adverſis partibus ſtare! Vellem mihi dari illum doctisſimum D. opponentem: vidi Libros, quos conſcripſit, miſericordiam commovent.

Conjicereſne, addit, ad Socratem & Platonem ferociter converſus, quid primò faciendum præceperit ſuo ſapienti, ut ipſum duceret ad veritatis cognitionem? Primò de omnibus jubet dubitare, ac pro falſis habere vel clariſſima maximè Principia. Duo & tria eſſe quinque, totum majus eſſe ſuâ parte. Noviſtis, Domini mei, nobis aït, quàm ſæpè ſuper hoc negotio vexatus in mundo fuerit. Ego verò unicam tantùm illi quæſtionem mo-

vere cuperem. Vultne, ut reverâ de omnibus iis rebus dubitemus, an non vult? non vult, quare id primum ſuæ methodi conſtituit principium? Quippe præcepta & Methodus ea debent eſſe, quæ ad praxin redigi poſſint. Si vult, quare ſæpiùs aït in ſuis Meditationibus, ac in Methodo, argumenta Scepticorum, quæ fere eadem ſunt cum iis, quæ adfert ad nos iſtiusmodi dubitationi mancipandos numquam ſufficiſſe dubitationi injiciendæ de iſtis veritatibus homini ſanæ mentis? creditne, quos docet, ſanâ deſtitutos ratione? an verò ſibi imaginatur argumenta Scepticorum majoris efficaciæ eſſe in ſuo, vel diſcipulorum ore, aut ſcriptis, quàm in Philoſophorum iſtorum, qui magnâ ex parte nil aliud egerunt, quàm ut moleſtiam crearent reliquis Sophiſtis, ac ludificarentur illos, qui eos refutare adgrederentur, & qui numquam ſperâſſent, fore ut Carteſius quiſpiam ipſorum ſophiſmata Methodo alicui præfigeret.

In Synopſi Meditat.

Reſp. ad inſtant. Gaſſend.

Verùm, ſi ſemel Carteſius mihi perſuaſiſſet, ut dubitarem, an duo & tria eſſent quinque, totum foret majus ſuâ parte, quâ uteretur methodo, ut illam mihi dubitationem eximeret, priorem meam redderet certitudinem? Id perficere nequiret, niſi ope alterius cujuſdam propoſitionis, quæ mihi foret evidentior, quâ uteretur ad me convincendum, quòd illæ, de quibus occepi dubitare, indubitatæ debeant eſſe. Jam verò quænam, ſecundùm ipſum, illa eſt miranda propoſitio, quæ ſuam cum omnibus aliis communicat claritatem, veluti ſol ſuum lumen reliquis omnibus impertit planetis. En tibi, *Cogitô, ergo ſum.* Non enim fieri poteſt, aït, ut cogitem, niſi exſiſtam.

exſiſtam. Egregium ratiocinium. Quî verò, anne id magis poſſibile, duo & tria non eſſe quinque? Magíſne poſſibile, totum majus eſſe ſuâ parte, quàm, me falli, licèt non exſiſtam, & cogitare, licèt non ſim? Atque ſi vim adhibere poſſum menti meæ, ut de primis duabus addubitem propoſitionibus; majorine mihi vi opus erit ut dubitem de tertiâ? ac ſi Sceptico ſatìs impudentiæ ſit, ut illas mihi neget, majorine ipſi opus erit, ut hanc inficietur? Atque annon in æquali verſabor impotentiâ omnes illas tres ipſi probandi? Carteſiuſne hâc procedens ratione, os obturare ſceptico ſibi vindicat, qui ipſum provocat, ut vel minimum quidpiam demonſtret, vel mihi oſtendere evidentiam propoſitionis ejus, de quâ ut dubitarem, ſe feciſſe ſupponit? Sophiſtæ ſanè clararum maximè propoſitionum evidentiam negare mordicus adſueto præbebit ludos. Nec ego profectò minùs ipſi illudam, dicendo, me permanere in dubitatione de propoſitionibus, de quibus me dubitare fecit, quandoquidem, quam mihi adfert ad me liberandum dubitatione, non majoris evidentiæ eſt, quàm illa, de quâ fecit ut dubitarem. Sed fortè, ludendo pergit, adrident vobis ſtupendi, quos in ſuâ methodo facit, progreſſus. ,, Reflectens, ,,magnus ille Philoſophus aït, ad primam illam ,, cognitionem: *Cogito, ergo ſum*, video illam mi- ,,hi certam non eſſe, niſi quia perceptionem ha- ,, beo claram & diſtinctam ejus, quod adfirmo; ,,atque adeò pro generali regulâ adſumere poſ- ,, ſum, quidquid clarè & diſtinctè concipio, eſ- ,, ſe verum. Jam verò eſtne hoc peculiare privilegium adamatæ ſuæ propoſitionis: *Cogito, ergo*

ſum. Ac dato, quòd Carteſius quietam mihi reliquiſſet poſſeſſionem, quâ fruebar, quâque frui deſinere non poteram, certitudinis harum propoſitionum, duo & tria ſunt quinque: totum majus eſt ſuâ parte; annon ad iſtas propoſitiones poſſem facere, quam ille ad ſuam, reflexionem; ac cùm mihi in meum tantùm uſum ſit quærenda regula veritatis, non verò pro Scepticis, quâ utar in omnibus meis judiciis, an non eâdem ratione quâ ille ſuper ſuâ, ſuper meis ego ratiocinari poſſem propoſitionibus. Ratio, ob quam hæ propoſitiones mihi certæ ſunt, hoc eſt, ob quam, non tantùm de iis non dubito, verum ſentio de iis dubitare me non poſſe, eſt quòd perceptione gaudeam clarâ & diſtinctâ ejus quod in iis adfirmo; ac quandoquidem illam habeo, poſſumne dubitare, an non habeam; cùm illam habere, & judicare, vel potiùs ſentire me illam habere, idem intellectûs actus ſit. Re verâ enim inde, ex propriâ meâ conſcientiâ, oritur impoſſibilitas, in quâ verſor, dubitandi de illâ propoſitione; Duo & tria ſunt quinque, æquè ac de hac: *Cogito, ergo ſum*, veluti convenit inter omnes illos, qui paulò delicatiùs in hiſce judicant. Poſſem itaque æquo jure ex duabus his propoſitionibus, & infinitis aliis, hanc concluſionem deducere, quam deducit Carteſius ex ſuâ, quæ ipſi inſerviat pro regulâ veritatis: *Quidquid clarè & diſtinctè percipio, verum eſt.* Atque inutile, imò impoſſibile eſt, efficere, ut dependeat certitudo & evidentia iſtiuſmodi propoſitionum a certitudine & evidentiâ alterius cujuſdam; quandoquidem propriâ ſuâ illæ gaudent ex ſe ipſis, nec
ab

ab antecedente ullâ, nec a præjudicio aliquo dependente. Omnes æqualis ſunt evidentiæ; nec abſurdius quidpiam, nec magìs contra methodum, ac de unis aliarum ope convinci velle. Ac proinde, immediatæ iſtæ propoſitiones adpellantur; imò ſciat Carteſius, generale illud Principium: *Quidquid diſtinctè concipio, verum eſt*, nullo modo regulam veritatis eſſe iſtiuſmodi propoſitionum: verùm regulam earum veritatis, hoc eſt, quæ me de veritate earum perſuadeat, eſſe, ut modò dixi, ſolam experientiam, ac ſolum ſenſum internum, quo mea mens fruitur iſtius veritatis, ipſo illo momento, quo eas format.

Ariſtoteles, quem ſolum nomen Carteſii commoverat, non ſubſtitit in tam egregio curriculo, perrexitque vividè ſuam criticen proſequi. Maximam voluptatem, inquit, percepi, dum egregium illud opus perlegerem, ubi viderem hominem compedibus ſe obſtringere adeò, ut non effugiat, non ſubtiliſſimum ſcepticorum, verùm puſillum Logicum, cui cum tantillo ingenii,& ſani ſenſûs aliquis foret regularum Logices uſus. Simul percurrere Methodum, Meditationes, ac Primam partem Libri Principiorum, eâ ratione, ut oſtenderet, ſe admodum illa examinâſſe. Oſtendere nobis, enarrans ordinem & diſpoſitionem propoſitionum Carteſii, haud pejus illum, quàm fecerit, ſe ibi potuiſſe gerere, in inveniendâ ſtabiliendâque veritatis regulâ. Poſtquam nobis auctor fuiſſet ut de omnibus dubitaremus, ac dein occiperemus iter ſcientiæ ab iſto principio: *Quidquid diſtinctè concipimus, eſſe verum*; fidem ejus ſtatim ſuſpectam red-

 didiſſe

didiſſe hoc ſermone e tertiâ deſumto Meditatione. *Verumtamen multa priùs ut omnino certa & manifeſta admiſi, quæ tamen poſtea dubia eſſe deprehendi. Quod judicaverim; dubitandum hactenus, num duo & tria ſimul juncta ſint quinque, eſt, quia veniebat in mentem fortè aliquem Deum talem mihi naturam indere potuiſſe, ut etiam circa illa deciperer, quæ manifeſtiſſima viderentur; ſed quoties hæc præconcepta de ſummâ Dei potentiâ opinio mihi occurrit, non poſſum non fateri, ſiquidem velit, facile illi eſſe efficere ut errem, etiam in iis, quæ me puto mentis oculis quàm evidentiſſimè intueri; quoties verò ad ipſas res, quas valde clarè percipere arbitror, me converto, tam planè ab illis perſuadeor, ut ſponte erumpam in has voces, fallat me quiſquis poteſt, numquam tamen efficiet, ut nihil ſim, quamdiu me aliquid eſſe cogitabo, vel ut aliquando verum ſit, me numquam fuiſſe, cùm jam verum ſit me eſſe; vel fortè etiam ut duo & tria ſimul juncta plura vel pauciora ſint quàm quinque, vel ſimilia, in quibus ſcilicet repugnantiam agnoſco manifeſtam. Et certè cùm nullam occaſionem habeam exiſtimandi aliquem Deum eſſe deceptorem, nec quidem adhuc ſatis ſciam, utrum ſit aliquis Deus, valde tenuis, &, ut ita loquar, Metaphyſica tantùm dubitandi ratio eſt, quæ tantùm ex eâ opinione dependet. Ut autem etiam illa tollatur, quamprimum occurret occaſio, examinare debeo an ſit Deus, & ſi ſit, an poſſit eſſe deceptor.*

His ſuper Ariſtoteles ſuas exhibuit reflexiones. Scilicet, Carteſium jure non ampliùs gaudere pro regulâ veritatis habendi hoc Axioma, *Quidquid diſtinctè concipimus, verum eſt;* quando-

quandoquidem illud dubium redderet ratione ductâ a Dei potentiâ, ratione, quæ ipſi adeò valida adparebat, ut non poterat non, adhibitâ attentione, fateri, ſiquidem velit, Deum facilè poſſe efficere, ut erraremus etiam in iis, quæ nos putamus mentis oculis quàm evidentiſſime intueri. Hoc ſuppoſito, alteram ejus reflexionem ad evidentiam propoſitionum, ad ſummum non debere, niſi perpendendi anſam ipſi præbere, ac probabilem reddere regulæ ſuæ veritatem. Imò nec illud effectum producere debere, quandoquidem producere non poterat, niſi ex vi evidentiæ propoſitionum, regulæ ſanè, quæ incerta ipſi reddebatur, unico hoc argumento, cui ſe, debitâ adhibitâ attentione, non poterat non dedere. Rationem, quæ facit ut dubitet de axiomate ſuo, licèt fundatam in illâ ſolâ ſuſpicione de exſiſtentiâ Dei, quam nondum examinavit, haud exiguam debere eſſe, relatam ad hominem, qui juxta Methodum ipſius agnoſcit potentiam iſtius Dei, ſi exſiſteret, in omnia ſe extenſuram, ac fortè eò uſque ut nos iſtiuſmodi crearet, qui falleremur etiam in iis, quæ cognoſceremus clariſſimè. Ac tandem pugnare cum omnibus methodi regulis, ſi Philoſophus, cui adhuc reſtabat dubium aliquod de veritate hujus propoſitionis: *Quidquid diſtinctè cognoſco, verum eſt;* cogitet de probandâ ſibi Dei exſiſtentiâ, ut iſtiuſmodi dubitatione ſe liberet. Quo pacto enim de exſiſtentiâ Dei quis convincetur, niſi ope evidentis cujuſdam demonſtrationis? Ac quâ ratione convincetur demonſtratione evidenti, dum hactenus dubitatur, an quod di-

ſtinctiſſimè percipimus, verum ſit?

Unde Ariſtoteles concludit, Carteſium in ſuâ Methodo circulum committere, vitium longè turpiſſimum omnium, quæ in ratiocinio reperire eſt. Quippe, ſecundùm ipſum, nequit perfectè perſuaſus eſſe de illo principio, *Quidquid clarè percipio, verum eſt:* niſi quia Deus quiſquam exſiſtit, & ille Deus deceptor eſſe non poteſt. Nec poteſt ſcire, Deum eſſe, illumque Deum non eſſe deceptorem, niſi quòd diſtinctè concipiat exſiſtentiam Dei ex illâ ideâ, quam in ſe reperit, ipſius; ac quòd diſtinctè concipiat, fallere eſſe quid Deo indignum. Uno verbo, primam illum propoſitionem ſecundâ probare, & ſecundam primâ, licèt tamen jure non poſſet vel hujus vel alterius veritatem ſupponere. Atqui, Domini mei, pergit nobis illudens, veſtri gratiâ hunc falſum progreſſum condono bono veſtro præceptori. Palpando longè ſanè progreſſus eſt: tamen hæc non impediunt, quin adhuc pedibus inſiſtat. Concluſit exſiſtentiam Dei, & multas dari veritates, quas cognoſcimus, cum evidentiâ & certitudine. Vera eſt concluſio, licèt falſa ſit conſequentia. Verùm æquo animo ferte, ut adhuc vêrbulum addam, ac principia ipſius & axiomata inter ſe committendo, vobis oſtendam, quàm malè ſubfulta ſit illa fama, quâ ipſe Philoſophus cluere fertur, qui juſtâ ratiocinatur admodum cum conſequentiâ, & methodo planè cohærenti. Memini apud hunc Auctorem legere propoſitionem aliquam, quæ ſatis mihi faceta viſa: ſcilicet, Deum poſſe immutare rerum eſſentias: propoſitiones, quæ neceſſariæ nuncu-

In Reſponſ. ad Object. 1.

nuncupantur, non eſſe veras, niſi, quia Deus id vult; atque adeò, ſi Deus voluiſſet, ut velle poterat, ne duo & tria forent quinque, hæc propoſitio, duo & tria ſunt quinque, nunc falſa eſſet. Cùm Carteſius hoc paradoxum profert, adſimulat magnam oſtendere reverentiam, magnamque ſubmiſſionem erga omnipotentiam Dei, quinimo invehitur in reliquos Philoſophos, ac blaſphemiæ fere inſimulat, auſos dicere, Deum non poſſe facere, ut duo & tria non ſint quinque. Attamen ſi Carteſium aliquantùm ſequamur, animadvertimus ſanè, non planè religionis ergo hanc theſin defendere: verùm quia abſurda hæc propoſitio evidenti concluſione deducitur ex nonnullis doctrinæ ſuæ articulis. Admittere propoſitionem adeò duram, veluti hanc, vi coactum, & veluti concluſionem, evidenter quæ ſequitur ex principio quod poſuit, ſalvo honore non poterat, fortè etiam homines abſterruiſſet: quare potiùs amavit nos occupare, ac primus mirari, quòd eò temeritatis fuiſſent progreſſi Philoſophi, ut eâ ratione omnipotentiæ Dei limites figerent. Jam non examino abſurditatem iſtius propoſitionis: nec cogito omnes illius (ut vulgò contendunt) Philoſophiæ Heroïs in medium producere; ac profectò nimiùm gloriæ ſuæ duceret, quòd ſi ego criticum operis ſui agerem. Verùm ut, in quo verſamur negotio, maneamus, dico, ſi omnia quæ contra Methodum ejus protuli, falſa forent: ſi nullius momenti cuncta argumenta, quibus in mundo petitus eſt: hoc ſolum paradoxum integrè ipſum peſſumdare, & ſi verùm ſupponatur, impoſſibile eſſe ipſi, no-

bis veritatis aliquam regulam exhibere. Quippe ſi verum eſt, veritatem propoſitionum neceſſariarum dependere eâ ratione a Deo, ut potuerit efficere, quò illæ, quæ pro neceſſariò veris habentur, eſſent falſæ, potuit etiam efficere, ut hæ duæ falſæ forent: *Quod clarè percipio, verum eſt. Deceptorem eſſe imperfectionis eſt.* Quòd ſi Deus id potuit, quis Carteſio dixit, non feciſſe? Quæ ratio ipſi eſt, cur illud potiùs, quam contrarium credat? Deuſne id ipſi revelavit? Ex ipſius principio, non tantùm tamquam ſcepticus dubitabo de duabus iſtis propoſitionibus, verùm dubitabo ſeriò. Atque adeò duæ illius regulæ veritatis; veritatis regulæ eſſe deſinunt. Veniat itaque nunc, & egregiam ſuam exhibeat propoſitionem: *Cogito, ergo ſum*: licèt Scepticus non ſim, nollem admittere. Quare? Quandoquidem neſcio, an Deus ab omni æternitate voluerit illam veram vel falſam eſſe. Nec id ſcire poſſum, niſi per revelationem; præterea examinandum incumberet, an revelatio poſſet eſſe regula veritatis in hiſce circumſtantiis. Atque ita Carteſii ſapiens, qui jam eò uſque progreſſus ut ſciret, ſe cogitare, & ſe eſſe, malo quodam hîc fato a cynoſurâ aberrat. Satis adhuc haberem reflexionum, nec umquam exhaurirer ſuper illâ pulchrâ Metaphyſicâ: ſuper novis demonſtrationibus, quæ perhibentur in eâ exhiberi exſiſtentiæ Dei, diſtinctionis corporis & animæ: ſuper modò, quo reſpondet ad objectiones, quæ ipſi fuere propoſitæ circa reliquam ipſius Methodum: ſi vobis vellem oſtendere, quâ ratione, ubi impugnantur ejus propoſitiones, & ſimul ſequelæ iſtarum propoſitio-

num,

num, vel methodus, quâ utitur ad perveniendum ad cognitionem veritatis, ſæpiùs ſatìs habeat defendere ſuas propoſitiones bene, vel malè, non conando methodum ſuam ſalvare, ex quâ tamen maximum ſibi decus parare adnixus fuit, quæque reverâ eſt peſſimum eorum quæ in ejus ſcriptis reperias, veluti puto me ſatìs vobis probâſſe. Verùm ſufficit vobis convincendis, judicium, quod de veſtro doctore fero, non ferri ſine cognitione cauſſæ; ac profectò, nimis diu vos morari facio. Valete Domini Carteſiani, admodum veſter ſum; inclytum doctorem veſtrum ſalvere jubeo.

Secuti ipſum fuerunt Socrates & Plato, paulò honeſtiùs tamen a nobis petitâ veniâ, ſubjecitque Plato, gaudere ſe, quòd Ariſtoles in mundo diffamaretur: meruiſſe enim vel ſaltem ob modum quo ſe geſſerat erga Philoſophos, qui ante ipſum exſtitere, ac præcipuè erga ſe: feciſſe pro virili, ut famam illorum in mundo everteret; ſibi verò Platoni minùs quàm reliquis peperciſſe, licèt ejus Præceptor fuerit; & calumniis ſuis eripuiſſe, in negotio doctrinæ, titulum Principis Philoſophorum.

Ad hæc ego, nondum conſtat, quid adhuc fiat, nec eſt cur deſperes, ne in priſtinam dignitatem reſtituaris. Philoſophia Ariſtotelica diversâ admodum uſa fuit fortunâ per hos mille quingentos annos; ac veluti novum quidpiam noſtri Mundi tibi narro, vix octoginta annos eſſe, ex quo Pontifex Chriſtianorum Maximus tantùm non juſſerit, ut Romæ tua Philoſophia loco Ariſtotelicæ doceretur;

Vita Bellarmini. ceretur; nec id velle deſtiterit, niſi perſuaſus ab illuſtri iſtius temporis homine dicto Bellarmino. Hoc ſi ſemel Romæ invaluiſſet, jam actum fuiſſet de Philoſophiâ Ariſtotelis, ac tua ubique primas tuliſſet. In jucundam me admirationem conjicis, reſpondit Plato, ac me beas; hoc novi me tibi obſtrictum valde reddit. Ariſtoteles ut id ſciat, curabo; adhibeboque ut ulciſcar illius inſolentem, quâ vos modo impetebat, inſultationem. Interea duces mei quaſi in rabiem agi audientes ſuum præceptorem tam indignè excipi. Finem ſermonis Ariſtotelis exſpectârant, ut ipſi reſponderent: verùm ubi viderent, illum abire, & eripere iis reſpondendi occaſionem, omnia, ut ipſum retinerent, conati ſunt. Cùm non auſcultaret, ſenex ipſum è longinquo interrogat illudens, ubi eſſet ſphæra ignis: nondum eam ſe offendiſſe, licèt legiſſent in ſcriptis ipſius eſſe illam ſupra aërem, ac infra Lunam. Ego verò, contrà, hoc occurſu, hâcque converſatione admodum delectabar. Cum gaudio conperiebam, Spiritus Philoſophicos non poſſe a diſputando abſtinere, non magîs quàm Philoſophi corporei; nec minori zelo erga ſua dogmata & famam ferri. Plus ſemel hoc gaudio fruebar hoc in itinere, variis occaſionibus, de quibus ſum locuturus.

Poſtquam tres noſtri Philoſophi abierant, dixi P. Merſenno: Ergo, mi Pater, quid cenſes de Ariſtotele? Reverâ calidioris ingenii mihi videtur, ſed ſanè non ita perperam diſputat. Illa methodus Carteſii veſtigia premendi in ipſius Methodo inveſtigandi veritatem, eſt maligna, & apta gignendis ſaltem ſcrupulis;

pulis; præ primis ultimum illud argumentum ductum a veritate propoſitionum neceſſariarum, quæ, juxta Carteſium, a Deo dependet, videtur mihi ſatis negotii faceſſere. Nec memini ullum hominem hactenus hâc occaſione id adhibuiſſe.

Meræ nugæ iſthæc omnia, reſpondit, quæ dixit Ariſtoteles, nihil eſt quod feras præter illum circulum, quem Carteſio ut probrum objicit. Verùm hoc novum non eſt. Ipſemet aliàs mentionem hujus nonnullam feci, ut videre eſt in ſecundis Objectionibus, quæ Meditationes ejus excipiunt, & quæ cum ſextis meæ ſunt. Gaudeo hoc ex te nunc diſcere, reſpondeo. Utræque te dignæ ſunt, ac optimè propoſitæ: idque mihi præjudicium conciliat, ut ſtatuam non plane chimæricum eſſe illum circulum. Etenim P. Merſennus, Ariſtoteles, Arnaldus, auctor qui eſt quartarum Objectionum, & alii plurimi, in eodem articulo omnes conveniſſe non videntur, niſi aliquid ſaltem in eo animadverterint admodum ſimile illius, quod in eo videre autumârunt. Verùm hic inter nos, reſponſum quod Carteſius dedit ut ſe moleſto illi circulo eriperet, quodque nemo elevavit, ſatiſne tibi ſapit, ac ferri poſſe cenſetur? Reſpondet Carteſius, ſe, ubi dixit nihil nos cum certitudine cognoſcere, antequam ſumus perſuaſi de Exſiſtentiâ Dei, datâ operâ ſignificâſſe, ſe non loqui niſi de certis quibuſdam concluſionibus, quæ nobis in memoriam redire poſſunt, eo tempore, quo non ampliùs attentionem adhibemus principiis unde eas deduximus. *Epiſt. Carteſii.*

Difficile fortè fuerit bonum ſenſum huic propo-

propoſitioni conciliare; verùm facillimum eſt oſtendere ipſum hîc unicè diverticulum quæſiviſſe, nec minùs litem ipſi movere de ipſius, quod adducit, facti veritate. Opus tantummodo, ut legantur ipſiſſimus jammodo ab Ariſtotele citatus tertiæ illius Meditationis locus, Pagina trigeſima quinta cum trigeſimâ ſextâ Methodi ipſius, numerus quintus primæ partis Principiorum, adparebitque ibi præcipi, ut de omnibus dubitemus, imò vel de principiis perſe cognitis, ac tandem de illo principio, *Quod clarè percipio, id verum eſt*, ex eâ ſolâ ſuſpicione quam habemus, Deum aliquem dari, qui potuerit nos talis naturæ creâſſe, ut falleremur etiam in iis, quæ perciperemus diſtinctiſſimè. Cùm itaque dicit, nihil nos certò ſcire, antequam Deum cognoſcamus, non tantùm de aliquibus concluſionibus loquitur, quæ occurrunt menti noſtræ a principiis ſuis ſeparatæ; verùm de omni genere cognitionum loquitur, imò vel de illâ, *quod diſtinctè concipimus, verum eſt*. Ac ea in re Tu, Ariſtoteles, Arnaldus, & reliqui, ipſi objeciſtis illum, quem committit, circulum. Scio illam reſponſionem reperiri in nonnullis ex ipſius epiſtolis, occaſione ejuſdem difficultatis, quæ ipſi de novo proponitur. Scio illam repetere ipſum, non ſub formâ reſponſi, verùm illam ſubdolè interſerendo primæ Principiorum ſuorum parti, ubi ſuæ Methodi Meditationumque exhibet compendium: verùm hoc factum, quod in quæſtione, non ſalvat. Imò hæc ipſa verba in primâ Principiorum parte peſſimum effectum producunt. Etenim adeò propè abſunt ab iis, quibus nos dubi-

dubitare facit de principiis per ſe cognitis, ob ſuſpicionem quam fovemus, an non Deus quiſpiam detur, qui fortè ſuam potentiam adhibeat nobis fallendis, ut oculos contradictio feriat.

Atque eodem modo res ſe habet in elucidatione quam illic exhibet, celebris ſuæ propoſitionis, *Cogito, ergo ſum.* Cùm enim nobis illam propoſitionem pro primâ obtulerat, de quâ certi poſſemus eſſe, monſtratum fuit illi, illam propoſitionem non poſſe primam eſſe, quandoquidem ejus certitudo ex neceſſitate ſupponeret veritatem aliarum nonnullarum, ac inter alias harum. Fieri non poteſt, ut id quod cogitat, non ſit: Illum qui cogitat, momento, quo cogitat, non eſſe contradictio eſt. Hac propoſitione (quod dignum notatu) hancce probat, *Cogito, ergo ſum*, eodem tempore quo contendit, illam omnium eſſe primam. Declarat itaque, quando dixit iſtam propoſitionem, *Cogito, ergo ſum,* eſſe primam, & certiſſimam omnium illarum, quæ ſe offerunt menti hominis cum methodo philophari adgredientis, non ſe voluiſſe negare, neceſſum eſſe ut antea certus ſiet de hâc: *Impoſſibile eſt, ut ille qui cogitet non ſit,* æquè ac de nonnullis aliis. Junge hanc confeſſionem cum iis, quæ præcedenti habet paginâ: *dubitabimus etiam de reliquis, quæ antea pro maximè certis habuimus; etiam de Mathematicis demonſtrationibus, etiam de iis principiis, quæ hactenus putavimus eſſe per ſe nota.* Quænam igitur ſunt illa principia, quæ adpellantur per ſe nota niſi hæc? Contradictio eſt, aliquid eſſe, & non eſſe. Aliquid nequit eſſe & non eſſe eodem tempore; nequit agere, & non agere, ac

Parte I. Principi.

ſimilis hiſce aliæ. Non igitur horum principiorum ſupponit veritatem, cùm de iis dubitet. Ac reverâ, ratio quam adfert, ut nos dubitare faciat de principiis per ſe notis, ad omnia æquo jure extenditur. Dubitare debemus, dicit, de principiis, quæ vocantur per ſe nota, quandoquidem inaudivimus, dari aliquem Deum, qui omnia poteſt; & ignoramus an non nos iſthæc præditos naturâ creaverit, ut ſemper fallamur, etiam in iis quæ nobis evidentiſſima adparent. Atque præterea, mi Pater, animum adverte, ad ea quæ dixit Ariſtoteles finiens ſermonem ſuum: Non tam reperiri, quod culpes, in propoſitionibus Carteſii, quàm in ſequelis harum propoſitionum, & illarum ordine, in methodo, quâ utitur, ad perveniendum ad veritatem; nec abſolutè litem ipſi moveri de veritate certarum propoſitionum, ſed ſolummodo relatè ad methodum, quam adhibet, juxta quam jure deſtitutus eſt illas ſupponendi, quantumvis veras: quoniam ex illâ methodo hactenus eorum veritatem cognoſcere non potuit: ac fortè exinde factum, quòd moleſtè tulerit D. Gaſſendum & P. Bourdimum Jeſuïtas, qui ipſum quàm preſſiſſimè urſerunt ab illâ parte. Difficultates ipſorum propoſitæ ſunt Latinè ſtylo admodum vivaci, ac immane quanto intervallo poſt ſe verſionem Gallicam relinquunt. Verùm occaſione verſionis Gallicæ.

Adjungam hic animadverſiculam, quam paucis abhinc feci diebus, nec cum aliis communicare mallem. Cùm illi diſcipuli Carteſii, experti aliquando moleſtiam, ſaltem ut autumo, in extricando ſe ſe illis impedimentis,

de

de quibus jam modò tecum locutus ſum, in verſione Gallicâ operum ipſius, quamque ipſe probavit, dextrè curârunt mitigari moleſtam illam propoſitionem numeri quinti primæ partis Principiorum ejus. Latinè ſic exprimitur. *Dubitabimus etiam de reliquis, quæ antea pro maximè certis habuimus: etiam de Mathematicis demonſtrationibus, etiam de iis Principiis, quæ hactenus putavimus eſſe per ſe nota.* Atqui Gallicè hunc locum ita verterunt, ut ſignificent Carteſium non loqui de principiis per ſe cognitis in genere, verùm tantummodo de principiis Mathematicis. Quòd ſi hoc datâ operâ factum, ut cum ratione quâdam poſſemus exiſtimare; eſt hæc quædam fraus innocens, quæ Carteſio jucunda eſt, neminem tamen lædens; ac ad minimum impedimento eſt, ne viſibilis adeò ſit contradictio. Verùm ut redeamus ad reſponſionem, quam exhibet Carteſius ad circulum, cujus commiſſi inſimulatur: rogo te, mi Pater, hoccine rectè ſe defendere eſt? An non hoc receptui ſignum dare, & cùm hoſte paciſci eſt? vel potiùs, ut adcuratiùs loquamur, nonne hoc Palinodiam canere eſt, ſibique contradicere? Bonâ fide, mi Pater, liberè id agnoſce: paululùm ut amicus hîc cum Carteſio egiſti, vel ſaltem ut generoſus inimicus. Armis ipſum exueras: non ille erat, qui te vitam ſuam rogaret: Imò prævidebas, ipſum adhuc poſt pugnam magnificè ſe elatunum: omnes ad certamen provocaturum. Nihilominùs, e re judicâſti vitam illius ſervare, velut hominis, qui ob alia inſignia Philoſophiæ exhibita officia mereretur veniam. Laudo tuum

tum generoſum animum. Nec eſt, cur te ejus pœniteat.

Parvula dulcedo, quâ critices meæ mitigabam amarorem, quod intenderam, producebat effectum, ſcilicèt ne planè bilem concitarem P. Merſenno. Admodum gratè hanc accipiebat; ac tantummodo reſpondebat, veluti per jocum: calumniator tu es, qui lites tantùm ſerere cogitas. Et prout ex ingenio tuo diſco, quòd ſi tu Carteſii tempore vixiſſes, non potuiſſet fieri, quin apud illum ſatis ingens reſponſionum caput tibi conciliaſſes. Quæcumque modò dixiſti, merum nihil ſunt, prout equidem facilè tibi poſſem demonſtrare. Verùm iſthæc factorum & contradictionum diſcuſſio, nimis tædioſus ſermo eſt iter facientibus. Imò video id fatigare D., addit, oſtendens ſenem noſtrum, tantummodo os ipſi deeſt, quo oſcitet. Eja agamus, inquit, mi Domine, triſtis mihi adpares, excitemus nos aliquantùm. Quid cogitas?

Nihil cogito, reſpondit ſenex. Ah! Mi Domine, dico ego, quid iſthoc dixiſti? Blaſphemia eſt adversùs noſtri præceptoris doctrinam. Quòd ſi nos audiviſſet Ariſtoteles, quid diceret? Nihilne cogitas? Quî, eſſentia animæ, juxta Carteſium, conſiſtit in cogitatione. Vellem itaque æquè mihi diceres, te non exſiſtere, ac, te non cogitare. Reſpondet ille ſatis ſerio vultu, ſatiſque apertè indicante, meum ſermonem ipſi diſplicuiſſe magis, quàm P. Merſenno; præpoſterum ſenſum meæ propoſitioni adfingis, quæ nihil aliud vult, niſi, me non habere occupatam

meam

meam mentem id eis triſtibus, veluti vos putatis. Id magnopere gaudeo, mi Domine, reſpondeo: hilaritas enim numquam magis requiritur, quàm in itinere. Verùm quia caſu in hanc quæſtionem de eſſentiâ animæ incidimus, explica mihi, quæſo te, paulò adcuratiùs ea quæ Carteſius ſuper illâ re docet. Quantumvis merus ſim ſpiritus, nondum ſatìs clarè meam perſpicio eſſentiam, atque id miror. Malum hoc omen eſt, reſpondit ille, hoc ſignificat, te adhuc habere mentem præjudiciis infuſcatam, veluti jam nimìs quàm par eſt, animadverti. Ac ſatìs cerno, iſtum fatuum, quem modò obviam habuimus, novos præterea tibi ſcrupulos injeciſſe ſuis ſophiſmatibus. D. mi, refero, ut nîl te celem, liberè tibi edicam diſpoſitionem mentis, in quâ me comperio. Gaudeo occurrere hominibus Philoſophiæ Carteſianæ contradicentibus: hoc mentem mihi elucidat. Sed quantumvis validæ illorum mihi adpareant rationes, non me dedo iis; ac ſemper perfectam ſervo docilitatem erga inſtitutiones inſignis illius genii, ſi fortè ipſi vacàrit & benignè lubuerit nonnullas mihi largiri, ubi fruiturus ſum bono ipſius adſpectûs. Maximam partem quod ſpectat ſcholarum & infantiæ præjudiciorum, iſtis me exui, veluti fidem tibi feci, antequam me ab meo corpore ſepararem. Fateor tamen, nonnulla mihi reſtitiſſe ſuper eſſentiâ corporis, & ſuper eſſentiâ animæ, quam vix eo nomine poſſum inſignire, eâ in ſignificatione, quam tu ipſi adſcribis; quandoquidem mihi inniti experientiæ, ac magni momenti rationibus videntur. Nimiâ tamen erga Carteſium adfectus ſum reve-

reverentiâ, quàm ut omnino mihi perſuadeam, iſthæc præjudicia non eſſe falſa: ea propter ſatìs habeo agnoſcere, ut cacozeliâ quâdam utar, mentem meam ſpiſsâ valde obductam hactenus eſſe umbrâ in his negotiis; nec hactenus me gaviſum prærogativâ animarum Carteſianarum, ut haberem ideas planè diſtinctas binarum illarum entis ſpecierum, quæ Mundum componunt: atqui denuò docilem me tuis & Carteſii præbebo inſtitutionibus. Hinc ille occipit mihi evolvere doctrinam D. Carteſii ſuper iſtâ materiâ, nec aliud mihi quidpiam dixit, præter ea quæ legeram in ipſius Meditationibus, Methodo, primâ Principiorum parte,& nonnullis ex ejus litteris. Non hìc expoſitionem exhibebo iſtius doctrinæ, quandoquidem caſus quiſpiam, qui nobis accidit in globo Lunæ, de eâ loquendi mihi exhibitura eſt occaſionem. Adſimulabam, obſequii ergo, paulò mihi adridere magìs, ac ſoliditatis plus in eâ me reperire, quàm mihi viſum fuerat, ubi apud me illam ſeorſum legeram. Atque id meis comitibus animum reddidit, qui poſtquam variè jocati fuiſſent ſuper Philoſophiâ Ariſtotelis, rediere dennò ad ſphæram ignis, quæ infra Lunam deſignata reperitur in tabulâ Mundi, quam delineârat ille Philoſophus, cujuſque tamen ne minimam quidem ſpeciem in noſtro itinere videramus. Admodum in hâc re ludebant, mihique in memoriam revocabant litem motam a Peripateticis, aliquot abhinc annis, novis Philoſophis, qui eos turbabant in poſſeſſione, quâ fruebantur, iſtius ſphæræ a tot jam ſeculis, & decretum factum in gratiam diſcipulorum Ariſtotelis,

ex vi alicujus deſcenſionis in illa loca, quæ falsò ſupponebatur. Mandatum eſt, ut Sphæra ignis ſemper exſiſteret, ubi eam locârat Ariſtoteles. Cùm hoc decretum, dixerunt illi, non fuerit niſi decretum ad ſupplicem petitionem, non verò contradictorium, Philoſophi Neoterici de novo poſſent hoc negotium reſuſcitare, & litis rurſum cognitionem inducere; quod ſi accidit, poſſes tu veritati teſtimonium exhibere, & Peripateticos convincere de nullitate titulorum ſuorum in negotio iſtius momenti.

Lepidi vos eſtis, reſpondeo, licèt iſthæc ſphæra non reperiatur, ſi in hâc lite ego judex eſſem, non tam facilè Ariſtotelem damnarem. Potuit diſſipata eſſe poſt duo fere annorum millia: quot ſtellæ quæ tum temporis in cœlo conſpiciebantur, diſparuêre? Quid factum de ſeptimâ Pleïade, & illâ quæ præcedenti ſeculo in Caſſiopeâ adparuit? Atque qui voluiſſet, poſtquam illa adparere deſiiſſet, litem movere Tychoni Brahæ, & aliis, qui eam obſervârunt, veluti falſis teſtibus, qui abuſi fuere credulitate Vulgi, fuiſſetne ipſi permiſſum? Ac tandem ipſe Carteſius, an non nobis metum incutit, ne noſter Vortex, Sphærâ ignis longè major, aliquando abſorbeatur, ubi minimè de eo cogitabimus? Et quando, ope iſtius *abſorptionis*, Sol factus erit Terra; ac fortè eodem tempore materia ſubtilis, quæ centro terræ noſtræ incluſa eſt, effractis ruptiſque cruſtis illam contegentibus, Terram in Solem tranſmutaverit; ſi libri Carteſii ſubſiſterent in alio quopiam Vortice, ubi homines reperirentur,

an non pro fabulis haberent, quidquid de noſtro Mundo ſcripſit.

Quidquid ſit, licèt illa Sphæra ignis numquam fuiſſet, profectò ſatìs egregiè confica fuit. Numquam juſtius quodpiam exſtitit ſyſtema, quàm id quod Ariſtoteles exhibuit Elementorum. Singula enim ibi locum obtinent, quem nobilitas vel humilitas naturæ ipſorum meretur. Terra veluti elementum minùs activum & minùs nobile, infimum ſortita locum eſt. Aqua Terrâ minùs craſſa ſuperiorem illâ locum obtinet. Aër ſuam ob ſubtilitatem ſupra Aquam elatus reperitur. Atque Ignis nobiliſſimus vivaciſſimuſque omnium ſupra ſe nil niſi ſtellas agnoſcit, ac cœleſtem materiam, in quâ Planetæ natant. Extenſio uniuſcujuſque etiam proportione gaudet ad excellentiam ſuæ naturæ: veluti fratres, quatuor inter ſe diviſere qualitates: ſingulæ duabus gaudent, ex quibus unam in ſummo poſſident gradu. Terra frigida eſt & ſicca: Aqua frigida & humida. Aër calidus & humidus; & Ignis calidus & ſiccus. Et ut ſemper ſubſiſtant in perpetuis pugnis, quas inter ſe alunt, ſi qualitas regnans harum eſt magis activa, aliarum regnans qualitas eas eum in ſtatum redigit, ut reſiſtere queant fortiùs actioni inimici ſui. Poteſtne quidpiam videri adcuratiùs & majori ingenio excogitatum? Tandem, quot egregias cogitationes hæc Sphæra ignea, & hæc Elementorum diſpoſitio ſuppeditavit Concionatioribus priſcis? Quotque vel hodie Italicis ſuppeditat? Et ut loquar de re quâdam meliori in ſuo genere, vel ſolum illud Emblema P. le Moine,

cujus

cujus corpus conſtituit Sphæra ignis, meretur, ut ea Sphæra exſtiterit; & mereretur, ut adhuc ſubſiſteret, ac æternùm duraret. Cùm ille vellet exprimere, quò puriores ſint amicitiæ, eò diutiùs durare, depinxit Sphæram ignis his cum verbis Hiſpanicis: *Eterno, porquè puro*, æternus, quia purus. Quàm dolendum illam cogitationem, quantumvis pulchram & ſolidam, falſam reperiri, ob defectum Sphæræ ignis cujuſdam?

Atque hâc ratione, ut poteram optimè, pro Peripateticiſmo contendebam, cùm tandem adpulimus in Globo Lunæ. Non hîc exhibiturus ſum amplam ejus deſcriptionem, quandoquidem jam ab aliis illa exhibita. Dicam tantummodo, Terram nobis adparuiſſe, e Lunâ conſpectam, eâdem ratione ac Luna adparet e Terrâ conſpecta, hâc ſolùm differentiâ, quòd Terra multò nobis major adparuerit, quandoquidem reverâ major eſt. Atque ita judicavimus, Terram reſpectu eorum, qui illam e Lunâ conſpicerent, eaſdem habituram phaſes, quas Luna reſpectu eorum, qui e Terrâ illam conſpiciunt; habituram ſuas quadraturas, ſuas oppoſitiones, conjunctiones, hoc excepto, quòd numquam in totum poſſet eclipſi obnoxia eſſe, ob ſuam magnitudinem, comparatam ad Lunam, cujus umbra tanti diametri nequit eſſe, quanti Terra, quæ tunc erat in conjunctione.

Luna maſſa quædam eſt materiâ conſtans non admodum abſimili ab illâ, e quâ Tellus componitur. Cernere in illâ datur campos, ſylvas, maria, & fluvios. Animalia non

vidi: verùm crederem, quòd ſi illac adportarentur, poſſe ibi nutriri, ac fortè multiplicari. Falſum eſt homines ibi reperiri, quantumvis id adfirmet Cyrano: verùm bonâ nos ille fide decepit, poſtquam ab aliis ipſemet deceptus fuiſſet. Ex ſeparatis iſtis animabus, quas ſatis magno illic numero reperire eſt, aliqua quæque tum temporis, ubi Cyrano illuc venit, aderat, cauſſam hujus erroris mihi aperuit. Iſtarum animarum plurimæ miratæ, quòd viderent hominem cum ſuo corpore in regione, in quâ neminem iſtiuſmodi viderant, geſtiebant ſcire, quid id rei eſſet. Statuerunt inter ſe, ut humanâ ipſi formâ adparerent: itaque ipſum adgrediuntur, & rogant, quibus inſtructus auxiliis tantum iter obierit: ac expetunt, quid de noſtro Mundo ſciret, & cùm ipſe pari ratione admodum videretur avere ſcire, quid in Mundo Lunæ fieret, quâque ratione iſtius regionis homines inter ſe viverent, familiaris Socratis Genius, qui tum fortè inter eos erat, ſermonem auſpicatus eſt; & poſtquam quis eſſet indicâſſet, veluti ille Hiſtoricus ipſe narrat, e veſtigio ipſi exhibuit Syſtema quoddam ridiculum reipublicæ, & ſocietatis, quod idem eſt cum illo, quod nobis exponit in ſuâ relatione, ubi bonâ fide perhibet, dari in Lunâ homines; characterem genii eorum exhibet: occupationes eorum, mores, politiam deſcribit. Verùm e re eſt ſcire, nonnullas ineptias, quas immiſcuit ſuæ deſcriptioni, numquam in ipſâ regione ipſum audiviſſe, prout anima illa mihi adfirmavit, & nonnullas alluſiones non admodum hone-

Imperium Lunæ

honeſtas, ac plurimas quas habet in illo libro reflexiones planè Libertiniſmum ſapientes, meros fructus eſſe corruptæ imaginationis, & ingenii perverſi, cujus erat ille Scriptor; vel imitationis Auctoris ipſo longè magìs impii, Luciani volo, ex cujus operibus fuit, quod ipſi ſuæ Lunæ hiſtoriæ exemplar ſuppeditavit.

Inæqualitates illæ, quæ nobis adparent in diſco Lunæ, partim Inſulæ ſunt, quibus maria hujus globi gratâ quâdam varietate ornata ſunt, partim verò eminentiæ, & valles ſui continentis. Poſſidentur illæ a variis celebribus Aſtronomis vel Philoſophis, quorum nomine inſigniuntur, quique earum Domini ſunt. Deſcendimus in Gaſſendum: videbatur hic locus admodum elegans & concinnus, ac talis, ut uno verbo dicam, qualem eum facere potuit Abbas, veluti D. Gaſſendus, ingenio, arte, & ſcientiâ præditus, quique ſuo non indiget proventu ad ludendum; & magnificè vivendum. Dominum loci illic non offendimus, quem tamen libenter ſalutâſſemus: ajunt enim, illum ſemper ſervare honeſtos illos & moderatos mores, qui naturales ipſi fuere; & licèt olim cum Carteſio nonnullæ lites ipſi interceſſerint, ſemper admodum honeſtè excipit, atque etiam cum diſtinctione Carteſianos, qui ipſum viſunt, ac præ primis P. Merſennum, familiariſſimum ſuum amicum. Fuit homo, non minoris ingenii, quàm Carteſius, at longè vaſtiùs extenſæ cognitionis, & longè minùs pertinacis opinionis. Videtur nonnihil ad Pyrrhoniſmum vergere in Phyſicis, quod meo quidem

Grimald. Solenogr.

judicio, haud indecorum eſt Philoſopho, qui, modò vel tantillum cupiat jure ſecum agere, propriâ ſuâ experientiâ novit limites humani ingenii, & debilitatem ſuarum cognitionum.

E Gaſſendo P. Merſennus nos duxit ad Terram ſuo inſignitam nomine. Illa amœniſſimè ſita eſt in eâdem cum Gaſſendo orâ, in littore Maris Rotundi, quod ab aliis nuncupatur Mare Humorum, eſtque ingens Sinus Oceani Lunaris, ab unâ parte terminatus continenti, in quo Merſennus eſt collocatus, & ab alterâ Iſthmo, ad cujus exitum Septemtrionem versùs Peninſula eſt, quæ vocatur Meditationum. Præter ſitum & proſpectum nîl grati habet Merſennus. Locus eſt ex ſicciſſimis & ſteriliſſimis, ob calorem adeò intenſum, ut illa regio adpelletur Terra Caloris.

Subſtitimus hoc in loco per dimidium fere horæ quadrantem: dehinc P. Merſenno indicavi, antequam ulteriùs progrederemur, me lubenter velle percurrere hemiſphærium Lunæ, in quo verſabamur. Illud Hemiſphærium ſemper noſtram Tellurem reſpicit; & falſum eſt, illum globum circa ſuum centrum rotari, veluti nonnulli ſibi imaginati fuerunt. Gaudet tantummodo motu quodam librationis, quâ libratur ab Oriente in Occidentem, ac ab Occidente in Orientem; quem primus motum animadvertit Galilæus, dum obſervavit ope Teleſcopii, quem hodie Grimaldum adpellamus, nunc propiorem adparere, nunc remotiorem a limbo orientali Lunæ, & Mare Caſpium, illi oppoſitum, etiam propius nunc, nunc

nunc verò remotius adparere a limbo occidentali. P. Merſennus lubenter ad id, quod propoſueram, adnuebat, quia ipſe etiam nondum hoc iter confecerat. Magnum trajecimus Oceanum: a ſiniſtrâ reliquimus Inſulam Ventorum, a dextrâ verò Copernici: Pitheæ prætervecti ſumus; & pertendimus uſque ad Mare Pluviarum, quod magnâ limitatur terrâ, ab Oriente in Occidentem extenſâ, ſatis ſimili, figuram ſi ſpectes, Americæ, veluti nobis in Tabulis Geographicis exhibetur; cujuſque Orientalis pars vocatur Terra Nebularum, altera verò Terra Grandinis, quæ nobis veluti vaſta duo deſerta adparuerunt. Verſùs mediam iſtam terram conſpeximus urbis genus quodpiam permagnæ, ellipticæ figuræ, quam ut viſeremus curioſitas nos adegit: verùm præcluſos offendimus aditus & obſeſſos animabus, quæ introïtum nobis negârunt, licèt ſatis honeſtè. Rogamus ex iis aliquam, quænam illa urbs eſſet; ac quam ob rem nollent permittere nobis, ut ingrederemur. Reſpondet illa, Platonem nuncupari: hunc eſſe locum, ubi Philoſophus, cujus nomen hæc habebat, ſuam fundârat Rempublicam: neminem illic admitti, niſi ipſemet illum examinâſſet: hâc ipſum cautione uti, ne peregrinus quiſpiam eò adferret perverſa alterius mundi dogmata, unicam ſcilicet peſtem, a quâ hæc Reſpublica ſibi metuebat. Platonem nunc temporis ab urbe abeſſe; non diu abfore; ac, ſi vellemus admitti, poſſe nos, reditum Platonis opperientes, quadrageſimam noſtram auſpicari in Xenodochio, quod eſt exigua eminentia, quam nobis

monſtrabat ad aliquam ab urbe diſtantiam; illam autem quadrageſiman non eſſe dierum, ſed annorum; quandoquidem morbi contagioſi, quibus ſpiritus quis poſſet eſſe infectus, multò difficiliùs diſſipantur, quàm malignus corporum aër e locis contagioſis venientium. Gratias ipſi egimus, & diximus, nos non veniſſe eo animo, ut ibi ſedem figeremus, ultrà nos tendere: quòd ſi Plato in urbe adfuiſſet, fortè erga nos indulgenter nonnihil fore ut ſe geſſiſſet, nos ipſi obviam factos in itinere, ubi magnum honorem nobis exhibuerat: atque conaturos noſmet ipſos conſolari, quòd ſatisfacere noſtræ curioſitati non potuiſſemus. Progredimur itaque, ſatìs malè contenti de Republicâ Platonis, ubi non crediſſemus, peregrinos ita Japonico more excipi.

Hinc omnem illam terram a Septemtrione versùs Meridiem percurrimus: dein aliud quoddam mare deteximus, dictum Mare Frigidum, in quo vidimus Inſulam quandam ſatìs pulchram, quam ajebant eſſe Ariſtotelem: non cunctabamur eò iter provehere. Deliberabamus tantummodo, ſi rogaremur, quinam eſſemus, an reſponderemus Carteſianos nos eſſe. Ego cenſui, e re non fore, ut in inimicâ regione adeò magnificè nos efferremus: verùm cum P. Merſenno ſenex meus ſtatuerunt apertè ſe oſtendere, dicentes, nihil eſſe quod metueremus; quòd ſi nos adgrederentur, habere quo nos defendamus: in certaminibus ſpiritualibus, numerum pro nihilo habendum: nec ſemel viſum Carteſianum aliquem, ſolum cum ſucceſſu impugnatum eun-

euntem claſſem quadringentorum Peripateticorum, cui præerat Rector conſummatæ experientiæ: cavendum tantummodo, ne illuderemus, vel jocis perſtringeremus eos, cum quibus nobis futurus erat ſermo.

Verum non leviter mirati ſumus ubi eò advenimus, cùm videremus illam Inſulam multò meliùs adhuc cuſtodiri, quàm Platonem. Vigilabant ibi, veluti in urbe, cui ad portas hoſtis eſt, & inſequente craſtino quæ obſidionem exſpectat. Cernebantur excubiæ quàm longiſſimè in campo, ſpeculæ in omnibus circumjectis eminentiis, ac ab omni parte in aëre. Ubi ad diſtantiam trecentorum fere paſſuum ab loco pervenimus, vidimus manipulum duodecim animarum, ſeſe ab excubiis quibuſdam ſeparare & versùs nos progredi. Earum præfectus nos rogat, quis vivat, & cujus nos eſſemus Sectæ. Audacter reſpondit ſenex noſter, Vivat Carteſius cum Carteſianis. Perculſus nobis ille videbatur, juſſitque ut ſubſiſteremus, & e veſtigio Præfectum excubiarum certum de negotio fecit.

Præfectus excubiarum ſimulac rem cognoverat, omnes ejus cohortes, ſigno dato, arma adripuerunt, & ita ſe compoſuerunt, tamquam hoſtem experturi; hoc eſt, armatos eos vidimus ſyllogiſmis in omne genus figuris & formis, quorum aliqui concludebant pro animâ Beſtiarum, alii pro neceſſitate Formarum Subſtantialium in Mixtis, alii pro Accidentibus abſolutis, & ſimilibus rebus aliis, quas contra Carteſius inſurrexerat. Præfecto ipſo adveniente, invicem ſtatim nos agnoſcebamus. Erat ille vetus Profeſſor Uni-

verſitatis Pariſienſis, qui olim Regens meus fuerat in philoſophiâ. Ergone, inquit, ad me ſermonem convertens, cum dolore cogor te videre in partibus hoſtium noſtrorum, uſque adeò, ut iis pro ſpeculatore ſis? Hæccine laborum, quos pro te ſuſtinui, meorum merces eſt? Reperiſtine Curſum aliquem Philoſophiæ meliorem meo, qui tum temporis pro adcuratiſſimo & ſolidiſſimo totius Univerſitatis Pariſienſis fuit habitus? Quid factum de illâ reverentiâ, & addicto illo animo, quem præ te tuliſti in juventute tuâ primâ erga Principem Philoſophorum? Quis te adegit, ut hâc ratione arma in ipſum ſumeres? Mi Domine, reſpondi, ſervo ſemper eandem reverentiam, exiſtimationem, & amicitiam, quam tibi debeo; ac gaudeo magnopere, quòd hîc tibi occurram, ut de novo id tibi teſtificer. Neutiquam hæc loca adii, vel ut inimicus, vel ut ſpeculator, ac me recepturus es, ſi placuerit, tamquam Viatorem. Unica, cur huc in tranſitu venerim, cauſſa eſt curioſitas. Philoſophiam quod ſpectat, confitebor tibi, poſtquam a te deceſſi, me factum hoc in negotio nonnihil Libertinum, nec adhuc ſatis ſcire quid ſim: omnes Sectas delibare conſtitui, antequam ulli me planè addicam. Atque adeò, mi Domine, cogita me hominem eſſe, e neutrâ regione advenientem, nihilque infeſti molientem contra veſtram Rempublicam. Hi Domini reverâ jurati Carteſiani ſunt, verùm Philoſophi & honeſti homines, qui adverſarum partium bene meritos in pretio habent, creduntque conſcientiæ libertatem in materiâ Philoſophicâ, eſſe juris invio-

inviolabilis apud honeſtos homines. Verùm, adjunxi, ſummè miror motus, & inquietudinem, quibus in hâc regione vos eſtis obnoxii: nullam in Flandriâ Hiſpanam Urbem reperias æquè pronam ad ſumendum arma, ac veſtra mihi videtur. Quid igitur eſt quòd tantopere metuatis?

Quòd tantòpere metuamus, refert, in cauſsâ eſt irreconciliabilis noſtri Principis inimicus: veſter ſcilicet Carteſius, qui dum in terrâ verſaretur, omni cònatu operam dedit, ut Peripateticos everteret, nec terram reliquit aliam ob rationem, quàm ut illos in hâc regione peſſum daret, ut id ex iſtius negotii gnaris reſcivimus. Anni ſunt triginta, & quód excurrit, ex quo exactiſſimæ hìc habentur excubiæ, ne in inſidias incidamus, quandoquidem nobis adfirmatum eſt, ab illo ipſum tempore undique ſociorum auxilia conficere, ac quàm maximas poteſt contrahere copias, nobis ut illuſum veniat. Hæc edocti ſumus a profeſſore quodam Belgâ, qui hîc domicilium ſuum habere elegit, & qui hîc actu abſente Ariſtotele principatum tenet. Sed veniat modò Carteſius, ſatìs tibi adparet, nos eſſe omninò adcinctos illi egregriè excipiendo.

Eja, mi Domine, ipſi dixi, ne tibi ab illâ parte metuas: edico tibi, Carteſium in animo non habere vos adgredi: millies remotior degit a vobis, quàm abhinc ad terram. Intentus eſt condendo novo mundo ultra omnes Cœlos: invitavit nos, ut ipſum hoc exſequentem propoſitum viſeremus; atque illuc tendimus. Et ut te convincam de veritate hujus

 adſer-

adſerti, opus tantummodo ut nobis des, quando hinc profecturi ſumus, nonnullas hujus regionis animas, quæ nos eò uſque comitentur, illæ reduces tibi fidem facient eorum, quæ videre.

Gaudio me adficis, reſpondet: noſtri enim Peripatetici tædio adficiuntur ob diuturnas illas fatigationes: verùm ne mihi vitio vertas, quòd mandata mea exſequar, ac te deducam ad Loci Præfectum, ex more, qui hîc obtinet, ſcilicet ut omnes Philoſophi Sectæ a noſtrâ diverſæ, qui huc adpellunt, rationes ſui adventûs apud ipſum exponant. Ex eo tantùm tempore, quo crebros illos metus nobis incuſſit Carteſius, hâc ratione iſte mos obtinuit. Atque adeò verſus locum tendere occepimus, quinquaginta ſtipati animabus, maximam partem ex Univerſitatibus & Collegiis, qui non admodum benignè erga nos adfecti videbantur. Locus hic nihil aliud eſt, niſi ingens hortus, qui exhibet Lyceum Athenarum, ubi Ariſtoteles olim ſuos diſcipulos docuit obambulans, indeque nomen ipſis Peripateticorum. Vaſtè extenſus eſt, & egregiè cultus: interſecatur multis ambulationibus, quarum præcipuæ quatuor conveniunt in medio horto ad magnum aquæ orbem; e quo ſurgit magnifica baſis ex optimo, quod umquam oculis uſurpavi, marmore, cui inſiſtit ſtatua Alexandri Magni coronata lauris a manu victoriæ, pede proculcans ſceptra, diademata, ſcuta, confracta arma, ac theſauros Aſiæ: Ad quatuor angulos ingentes quatuor ſtatuæ religatæ catenis, exhibent præcipuas ab Alexandro ſubjugatas nationes. Equidem hoc monu-

monumentum adeò ſimile comperiebam illi, quod eſt in Foro Victoriarum, ut crediddiſſem hoc illius eſſe ectypum, niſi ſimul ad animum revocâſſem, ſimilitudinem duorum horum Heroum facilè in cauſsâ fuiſſe poſſe, cur in ingenio duorum artificum eædem orirentur ideæ. Omnes figuræ iſtius monumenti, æquè ac reliquæ ſtatuæ, quas diverſis in horto locis cernere eſt, veluti Philippi, Olympiadis, ac plurimorum illuſtrium hominum, qui olim Ariſtotelem ſuâ amicitiâ condecorârunt, ex argento conflatæ ſunt: etenim admodum vulgare eſt argentum in globo Lunæ; ac fortean exinde eſt, quòd Chymici, qui ſemper myſteria in ſuis vocabulis aucupantur, illud metallum Lunæ nomine ſignificent.

Poſtquam per aliquod temporis ſpatium contemplationi pulcherrimi iſtius monumenti immorati fuiſſemus, mirabamur ſimul egredientes e quatuor marmoreæ baſeos angulis quatuor aquæ Scaturigines, eaſque maximas & altiſſimas, quæ umquam viſæ fuere: adſcendebant ad minimum ad quadringentarum perticarum altitudinem, oriebanturque ex fluvio, qui reperiebatur retro vicinum montem, altiorem adhuc quàm eſt Puteus Domnæ in Alverniâ, in quem aquam adduxerant ope mirandi arcani veteris Philoſophiæ, quæ ſupponens horrorem vacui in naturâ docebat aquam levare in infinitum ope antliarum pneumaticarum, arcani quod malâ fortunâ perdidimus in noſtro Mundo: quippe a tempore Galilæi aqua elevari non poteſt ope antliarum pneumaticarum, niſi ad altitudinem tri-

ginta duorum, vel trium pedum. Iſtiuſmodi aquæ ſcaturigines ubique conſpiciebantur, earumque minimæ altiſſimas longè ſuperabant arbores hortum illum cingentes.

Tandem ex centro horti, in quo eramus, conſpiciebamus quatuor atria diverſæ & figuræ, & architecturæ, ſingula ad ſingulas quatuor ambulationes. Deducebamur in eorum maximum, quod perfectè nitidum & magnificum erat: ex mero auro, Lazulo, & pretioſis Lapidibus. Ab utrâque parte, in feneſtrarum intervallis cernuntur imagines argenteæ, egregii operis, mirâ diverſitate inter ſe oppoſitæ; quippe ab unâ parte, ad dextram, exhibentur egregia Alexandri facinora, Darii clades apud Arbela, conflictus cum exercitu Pori, Granici tranſitus, & direptio Tyri urbis; ac ab alterâ, conſpiciuntur triumphi Ariſtotelis de omnibus reliquis Philoſophis, ineptiæ eorum, qui pro Sapientibus ante ipſum habiti.

Prima imago ad ſiniſtram exhibebat Pythagoram ſuos diſcipulos docentem, iiſque offerentem quandam tabellulam, cui inſcripta inter alia hæc tria. Primò, debere eos quinque annorum ſpatio ipſum audire, nullo prolato verbo, quo ipſi contradicant. Secundò, ſæpiùs aures adhibere, præcipuè noctu, ſymphoniis, & harmoniæ ſphærarum cœleſtium, quas ſoli Sapientes audire poſſunt. Tertiò, numquam fabis veſci.

In ſecundâ cernitur Democritus omni conatu ridens, & ferventes profundens lacrymas Heraclitus, ac parvulorum turba poſt eos currentium veluti binos fatuos.

In

In Tertiâ agnoſcitur Diogenes Cynicus, habitu Circulatoris inſidens Lapidi e trivio, ad pedem cujus ejus conſpicitur dolium, ac auditores habet non multùm abſimiles a cantoribus novi pontis Pariſienſis.

In ultimâ, Ariſtoles ſedet in altâ ſede, quæ thronum magis refert, quàm cathedram ſcholaſticam, & ad pedes ejus adparent omnes, qui ante ipſum fuerunt Philoſophi, mirabundi eum contemplantes, & tamquam oraculum audientes. Ante thronum Ariſtotelis, videtur cumulus librorum, qui exhibent ſcripta eorum Philoſophorum, qui ipſum præceſſerunt, quæ igni mandantur, ut conſecrentur Sapientiæ, cujus caput veluti Sol, emittens plurimos radios in faciem Ariſtotelis, quæ ab iis tota lucida redditur.

In intimâ parte atrii, in quâdam quaſi Arâ, conſpicitur ingens valde ſtatua argentea pulchræ Pythiæ olim Ariſtotelis uxoris, quam tam perditè amabat, ut amor ipſius uſque ad offerendum illi ſacrificia eum adigeret.

Tandem ſuprema atrii pars, eſt lacunar picturis donatum inſignibus nuperè factis, quas etiam Ariſtoteles & Alexander partiebantur, juxta ideam imaginum. Hinc enim Heros eſt, accipiens fulmen e manu pſeudopatris ſui Jovis Ammonis, ad omnes Aſiæ Principes fulmine feriendos; illinc verò Philoſophus, pariter fulmen adipiſcens e manu Minervæ, ad fulminandos omnes novarum Sectarum Philoſophiæ auctores, inter quos facilè agnoſcebamus Carteſium, Gaſſendum, P. Maignanum, & plurimos alios.

Inte-

Interea dum occupamur contemplandis variis illis omnibus ſculpturis & picturis, ingreditur loci Præfectus dicendi copiam nobis largiturus. Numquam quiſpiam tantâ admiratione fuit adfectus, quantâ meus ſenex ad conſpectum iſtius Præfecti: olim in Hollandiâ ipſum noverat, ubi Carteſio fuerat comes. Vocabatur D. Voetius, juratiſſimus, qui umquam fuit, Peripateticus, ac infenſiſſimus omnium inimicorum Carteſii; qui omnium maximè quietem turbavit, quam Carteſius in Belgio quæſitum iverat, & qui maximâ pertinaciâ, & maximo cum ſucceſſu obfuit ejus propoſito, multos ſcilicet ſui ſibi Sectatores conciliandi. Cùm autem hic Voetius magnas partes habet in hiſtoriâ Carteſianiſmi, cujus ab initio hujus narrationis nonnulla momenta perſtringere oblatâ occaſione in me ſuſcepi, & quoniam in colloquio, de quo nunc mihi ſermo, agere cum ipſo inſtituimus de formulis pacis inter Peripateticos & Carteſianos, non vereor ne moleſtus ſim, ſi pauculis verbis enarrem quas cum Carteſio habuit litigationes, ac rationes, quæ ipſum adegerunt ut eligeret globum Lunæ pro ſede ſuâ.

Diſſert. de Methodo. Carteſius, poſtquam curſum Philoſophiæ abſolviſſet in Collegio Sagittæ, vulgò *de la Fleche*, tamen non deſiit eſſe Philoſophus: contendit etiam, ſe non antè incepiſſe philoſophari. Ut erat perſuaſus, vel curioſiſſimos bibliothecarum libros nihil docere, comparationem ſi inſtituas cum vaſto Mundi volumine, pulcherrimo illo, ac quod omnium optimè docere aptum eſt, ubi quis legitimo modo illi operam navare novit, voluit peregrinari.

Igitur

Igitur ſpatio novem vel decem annorum multas regiones obiit, Aulas inviſit, urbes, & exercitus plurimorum exterorum Principum, ſemper verò ut philoſophus, hoc eſt, perpetuò ſeriò reflectens ad mentem & cor humanum, ad diverſas regionum conſuetudines, ad oppoſita judicia, quæ homines de iiſdem ferunt rebus, juxta diverſas, quibus fruuntur, earum ideas; in his omnibus ſemper id agens, ut a falſo verum ſecerneret, & æquè ex ineptiis ac e ſapientiâ aliorum ſua commoda hauriret, ad formandum ſibi vitæ Syſtema, diſpoſitum & digeſtum ſolâ ratione, cujuſque felicitas, quantùm fieri poterat maximè, ab accidentibus & inconſtantiâ fortunæ non dependeret.

Hinc ſuum ſcopum exſequi adgreſſus in certo quodam Germaniæ loco, quem non nominat, ubi per integram hyemem degit, redux ab inauguratione Imperatoris Ferdinandi III., ubique ſolus integros in hypocauſto quodam dies moratus ad animum revocavit omnes animadverſiones, quas fecerat in hominum vivendi rationem, iiſque uſus fuit, ad conficiendas regulas Ethices, quas cernere eſt in libro ipſius, cui titulus, *Diſſertatio de methodo rectè utendi ratione*: unde progrediens ad cognitiones metaphyſicas, ab illis verò ad phyſicas, delineavit magnam operum ſuorum, quæ habemus, partem: vel ab illo tempore tentamen inſtituens circa ſuam phyſicam, in mechanicâ explicatione motûs cordis & arteriarum, quæ ſanè peſſimis ejus operum partibus neutiquam eſt adcenſenda.

Dein-

Ibid. Deinde animo agitavit, quem locum figendæ ſedi ſuæ eligeret. Statuit itaque non commorari in Britanniâ minori, patriâ ſuâ, ubique familia ſua erat, & adhuc eſt conſpicui ordinis; animo prævidens fore, ut inter propinquos ſuos offenderet moleſtias impedimento futuras, ne ſatis faceret ardenti ſuo philoſophandi deſiderio. Tandem Hollandiam elegit, veluti regionem quietis, ubi quiſque, aït, de ſuis negotiis propriis magè cogitat, ac de alterius, ubique tum temporis non aliam ob rationem numeroſa militum ſuſtentabatur multitudo, niſi ut majori cum ſecuritate omnis ſentiret regio commoda pacis, fervente ardentiſſimo bello.

Ibid. Sæpè per octo annos ſatis tranquillè ibi egit, Egmundæ plerumque commoratus, exiguo appidulo in orâ Hollandiæ, ita ut per totum illud tempus ab illâ regione non ſeceſſerit, niſi ob res domeſticas, quæ ipſum neceſſariò adegerunt, ad obeunda nonnulla in Galliam itinera. Felix, heu! nimium felix, ſi zelus tantùm pro utilitate publicâ, & miſericordia erga adflictum, Philoſophia in quo ſe comperiebat tunc temporis, ſtatum, non viciſſet contra egregium axioma morale, quod ſibimet ipſi præſcripſerat, ut mundum ſcilicet linqueret eum, quem repererat, nec cogitaret de illo reformando, & rectificandis illius ideis, verùm tantummodo conaretur in ſuum uſum ſolùm veritatem invenire, paſſioneſque ſuas vincere: ſuccubuit autem lubidini imprimendi & typis vulgandi, ac dein omnibus reliquis paſſionibus, quibus obnoxii ſunt Auctores, quando ſententiæ ipſorum obviam itur.

Ibid. pag. 20.

Certè,

Certè, licèt enim D. Carteſius ſibi formâſſet ideam Sapientis, ſatis ſimilem illi Stoïcorum, facilè tamen percipere poſſumus, legentes ipſius operum nonnulla, nondum ipſum perveniſſe ad illam ἀπάθειαν, iſtamque indolentiam, quæ eſſentialem iſtius Sapientis conſtituebant Characterem.

Vix dum imprimi curaverat ſuam Dioptricam, & Meteora, poſtea diſſertationem de Methodo, hinc Meditationes, cùm ab omnibus ſe impetitum partibus cerneret. Cunctæ Univerſitates Belgicæ arma ſumſere. Pro Lugdunenſi inſurrexit Doctor Revius, Voetius & Dematius pro Ultrajectinâ, Schookius pro Groninganâ, triumviratum inierunt adversùs novum illum hoſtem, qui ante quàm bellum edixiſſet, ſignumque ſuſtuliſſet contra Ariſtotelem, haud contemnendas ſibi copias adjunxerat. Revius pertracto in ſuas partes Doctore Tkil, homine fervido & vigoris pleno, adgreſſus eſt cenſuræ univerſæ Theologiæ ſubjicere Meditationes Carteſii; reſque illa eò uſque proceſſit, ut amici D. Carteſii ipſi auctores fuerint interponendi auctoritatem Principis Arauſionenſis, & Legati Gallici, ad impediendum, ne longiùs urgeretur: verùm ſatìs habuit ſcribere, & juſtitiam implorare ab Curatoribus Lugdunenſis Academiæ, qui pro inſigni erga ipſum favore & gratiâ haberi voluerunt, quòd ſilentium impoſuiſſent Doctoribus ſuis, ac interdixiſſent ullam Carteſii mentionem facere ejuſque opinionum in exercitiis ſuis Academicis; qui tamen agendi modus Carteſium non admodum contentum reddidit. Ab Groninganâ Univerſitate ſatis-

Tom. 3. Litt. apolog. ad DD. Ultraject.

tisfactum ipſi paulò magis, quæ inducta precibus Legati Galliarum, ſummè deteſtata fuit Schookii immoderatam & præcipitem agendi rationem.

Verùm extra omnem comparationem maximi momenti res agitata fuit Ultrajecti, ubi Voetius in ipſum invehebatur. Fuit Voetius ex ſubditis Univerſitatis ille, quem dignitas Profeſſoris Theologiæ, Miniſtri, & Rectoris, quâ inſignitus erat, ſimul cum cano capillitio, venerandum & metuendum reddiderant in Urbe, in quâ corpus Univerſitatis inter præcipuos locum obtinet. Ita ut ipſius ſententiæ deciſiones forent Univerſitatis, & civitatis oracula. Conſtat, quænam ejus de novâ Philoſophiâ fuerit ſententia, fuitque illa unica ratio, quæ Carteſii ſequaces impedivit, ne ſe oſtenderent. Tandem verò Medicinæ Doctor Regius, quem Carteſius primum ſuum Martyrem nuncupat, non ampliùs apud ſe continere potuit illud, quod conceperat, odium adverſùs formas ſubſtantiales. Theſes itaque facit publicas, in quibus illas exſulatum mittit, ut in illarum ſubroget locum diverſimodam configurationem inſenſibilium cujuſque corporis partium. Ingens in Univerſitate rûmor excitatur: ingenia in contraria ſtudia ſcinduntur: omni populo hæc in ore ſunt: de novis & politicis ne gry quidem: apud forum inter mercatores nullus niſi de ſubſtantialibus formis ſermo.

Interea Voetius otioſum ſe geſſit minimè in re tanti momenti. Ad primas itaque ſe contulit Regii Diſputationes: adeſſe fecit in diverſis auditorii locis plurimos ſtudioſos, quos

in

in ſuas partes pertraxerat, qui, ſimul loqui occiperet Regii diſcipulus de *Materiâ Subtili*, de *Globulis Secundi elementi*, de *Partibus Ramoſis & ſtriatis*, in cachinnos ſolvi, inſanum ſtrepitum excitare, manibus plaudere adgrediebantur, quibus planè opem addicebant Doctores amici Voetii. Hæcce tumultuatio de ſtatu pauperem Regium dejecit, ita ut coactus fuerit diſputationi finem imponere. Litteras ille itaque dat ad D. Carteſium, ad implorandum in hiſce ipſius conſilium, & quâ ratione oporteret ut ſe gereret erga Voetium, qui pariter Theſes confecerat & in publicum produxerat ad defendendas Formas ſubſtantiales, atque contra reliqua Philoſophiæ Carteſianæ dogmata. Singulatim eas dedicaverat Facultati Medicæ, & Profeſſoribus Philoſophiæ, quorum implorabat protectionem pro formis ſubſtantialibus contra Regium. *Tom. I. Epiſt. Carteſ.*

Carteſius auctor ipſi fuit abſtinendi a publicis diſputationibus, conandi ut Voetium ſibi adquireret, reſpondendi ad Theſes ipſius, verùm omni, quâ fieri poterat, cum modeſtiâ & humanitate, ſimulando magnam reverentiam & æſtimationem erga ſuum adverſarium, ſemper tamen pro veritate inconcuſſo animo ſtando. Fecit hoc Regius, non tamen abſque metu, ne Medicinæ Profeſſoratui excideret, ac ſanè parùm abfuit, quin excidiſſet. Voetius id conatus eſt, curavitque, ut contra ipſum ſcriberent Voetius Junior ſuus filius, & Schookius: tantùm non effecerat, ut Theologi illum, veluti Hæreticum damnarent: apud Magiſtratus ipſum detulit; *Tom. I. Ep. 89.*

nec

nec liberari a moleſtiâ potuit Regius, niſi promittendo exactè ſe exſecuturum quod ipſi mandatum dederant publicâ Sententiâ, ſcilicet ne Philoſophiam Carteſii doceret, antiquis ut contentus foret Dogmatibus, nec ultrà Formas Subſtantiales laceſſeret.

Tom. 3. Ep. ad DD. Ultraject.

Tom. I. Epiſt. 91.

Peruſſit hoc Carteſium, licèt in epiſtolâ exaratâ ad Regium id contemtui habere videri geſtiat, ita ut non potuerit non vindictam ſumere, ſpargendo furtim libellum quem nuncupat Hiſtoriam Voetii, ubi malè illum mulcabat, ac deridendum propinabat. Atque hoc Voetium contra ipſum converti fecit, qui relicto jam in poſterum Regio, quem proſtratum cernebat, atque habebat pro perditæ fortunæ homine, quem Carteſius præmiſerat, auſpicandæ velitationis ergo, exiſtimavit, oportere ut geminatis viribus novam Sectam in ſuo auctore adgrederetur. Præterea malâ quâdam fortunâ inter Carteſium & Regium lis orta fuit, ita ut alter alterum ſcriptis peteret, ac videtur ea tum Carteſii ſors fuiſſe, ut inimicos haberet omnes Hollandiæ Sapientes, quorum nomina terminabantur in *iu* ut erant Revius, Dematius, uterque Voetius, & Regius.

Epiſt. Carteſ.

Primùm itaque Ultrajecti de Carteſio ſermo erat in omnibus conſortiis, tamquam de Atheo, de altero Vanino, qui dum ſimulat ſuis ratiociniis exſiſtentiam Dei ſtabilire, nihil aliud agebat niſi ut illam impugnaret. Voetius æternùm in ipſum declamabat in lectionibus ſuis, diſputationibus, concionibus. Datâ operâ Theſes fecit de Atheïſmo, ubi quidquid in carteſium odioſi congerere poterat,

rat, inſeruit, adeóque fortuna favebat illi diffamando, ut, quando nuncius mortis ejus Ultrajectum venerat poſt aliquot elapſos annos, præjudicium, quod homines illos ſuper hâc re occupaverat, admiſcuerit horrendas circumſtantias, & rumor urbem impleverit, eſſe illum mortuum more ſcelera tiſſimi & improbiſſimi hominis, ſine fide, ſine religione, tamquam Julianum Apoſtatam, & blaſphemiarum eructantem in Jeſum Chriſtum millia. *Creighton Ep. ad Reginam.*

Adgreſſus fuit Voetius intimos ejus amicos corrumpere; & quantumvis Proteſtantium Miniſter, litteras in Galliam ad P. Merſennum dedit, ut cum illo fœdus jungeret, excitaretque ipſum ad ſcribendum contra Carteſium: verùm haud feliciter ipſi hæc negotiatio ceſſit. Accuſabat ipſum occultæ inimicitiæ contra regionis Religionem, videbaturque eo ipſum nomine velle traducere veluti qui teneretur crimine Statûs. Addebat eſſe emiſſarium & ſpeculatorem Jeſuïtarum, fovere cum ipſis litterarum commercium; ac præprimis aliquas adversùs ipſum producebat, quas dederat ad P. Dinetum, paulò poſt Confeſſorem Regium. Adeò verum eſt, non primum fuiſſe Titum Oatem, cui in mentem venerit perſuadere ſuæ regionis Proteſtantibus, Jeſuitas in Angliâ mandare conſcribendum exercitum, in quo diſponant de omnibus muneribus, & generales Præfectos creent, Chiliarchas, & Hecatontarchas. *Tom. 2. Epiſt. Cart.*

Vicit tandem Voetii exiſtimatio, vicerunt artes ejus, ut damnaretur ab omni Univerſitate,

cujus

cujus ille magnificus tum temporis erat Rector, Carteſii Philoſophia. Diem ipſi dixit, juſſu Magiſtratûs, magno cum ſtrepitu, ſonitu campanæ, per Miniſtrum Juſtitiæ, ut reſponderet ad calumnias, quos adverſus Voetium ſcripſiſſe ferebatur. Ita ut amici Carteſii ipſum monerent, quò ſibi caveret, utpote in eo, quo degebat loco, haud ſatis tuto futuro, licèt extra limites Dominii Ultrajectini verſaretur. Duo ſcripta, in quibus de Voetio locutus fuerat Carteſius, quorum alterum illa epiſtola, quam ad P. Dinetum dederat, pronuntiata fuere libelli diffamatorii. Hæc denuntiatio impreſſa fuit, adfixâ, & miſſa ad præcipuas Unitarum Provinciarum civitates. Quòd ſi fidem habeamus Carteſio, vel id ipſum agebant, ut eum latâ ſententiâ proſcriberent omnibus Provinciis, immensâ argenti ſummâ mulctaretur, libri ejus comburerentur carnificis manu, cum quo, ut nonnulli ajebant, Voetius jam tranſegerat, ut in iis comburendis tantum ignem excitaret, ut ejusflamma circumjacentibus foret regionibus conſpicua. Brevi Carteſius neceſſum habuit implorare fidem omnium amicorum ſuorum, imò etiam Galliarum Legati, qui impedivere, ne res ultrà progrederetur.

Epiſt. Carteſ. ad DD. Ultraject.

Tom. 2. Epiſt. Cart.

Omnes hæ lites per complures annos perdurârunt, atque D. Carteſius prævidens Apologias, quas in animo habebat exhibere Magiſtratui Lugdunenſi & Trajectino, uti ſe purgaret, & inſtaurationem honoris expoſceret, non ipſi conciliaturas illas, quas ſibi deberi exiſtimabat, ſatisfactiones, plus ſemel ſecum abitum ex Hollandiâ parabat, ubi jam

jam non amplius fruebatur illâ quiete, quam quæſitum eò venerat. Litteræ, quæ iſthoc tempore ad ipſum exarabantur, ab Aulâ Gallicâ, cum ſponſione lauti ſtipendii, ſi Lutetiam ſe conferre ibique degere vellet, ipſum ad proficiſcendum animum adjicere fecerunt: at malo fato Regni turbæ impedimento fuere, quò minùs inſtitutum bona ipſius fortuna curſum conficeret. Miſſæ ad ipſum fuerant Litteræ Pergamenæ membranæ inſcriptæ, rectiſſimè ſignatæ, & pulcherrimis omnino elogiis refertæ, verùm nil amplius ſecutum: imò ne *gratis* quidem iſtas Litteras habuit. Et profectò numquam ulla Pergamena membrana, ut ſatis jucunde dicere ſolitus erat, illi cariori conſtitit pretio, inutiliorve, quàm hæc, fuit: itaque non potuit non in amatam ſibi Hollandiam reverti, nil metuens ſe objicere denuò Voetiorum, Schookiorum & Reviorum impetui; pauculo verò abhinc tempore Regina Sueciæ ipſum Holmiam arceſſivit, ubi eum mortuum vulgò contendunt. *Ibid.*

Quæcumque hactenus de litibus Voetii cum Carteſio diximus, deſumta magnam partem ſunt ex epiſtolis Philoſophi ipſius. Reliqua nos edocuit Voetius in Globo Lunæ, quæ ipſum ſpectant, ſcilicet, poſtquam Carteſius ex Hollandiâ deceſſerat, ſe cum Medico Regio in gratiam rediiſſe, qui in epulis reconciliationes, ut oſtenderet ſincerâ ſe velle mente ipſius amicitiam colere, ipſi ex Tabaco D. Carteſii aliquid largitus eſt, ſæpe ſe illo uſum, præſertim, ut veniret ad Lyceum Lunæ: cumque magnam apud Ariſtotelem gratiam promeruerit, ob egregia facinora, quæ pa-

travit contra Regium & Carteſium, ad de- dendam Philoſophiam Peripateticam, ... Philoſophorum Principem ipſi obtuliſſe munus, quod eum obeuntem conſpiciebat; nihilominus ſuperſediſſe iſti in ſe ſuſcipiendo; donec, ubi reſciret Carteſium omnem adhibe- re conatum ſeducendis inde regionis ani- bus, zelus, quo ferebatur pro veteri Philo- ſophiâ, apud ipſum viciſſet ut ſe corpore ... ret, & opponeret periculoſi iſtius hoſtis ... ratibus.

Atque en tibi qualis fuerit ille Voetius, ... lim Heros in Hollandiâ Peripateticiſmi. ... tamen honeſtum valde noſtrum utrimque ... loquium fuit; ac poſteà quàm varias inv... blanditias dixiſſemus, gaudium nobis ... teſtatus eſt, quòd diſceret, Carteſium n... monſtri alere adversùs Lyceum Lunæ. F... batur imò, dolere ſe, quòd ita Philoſoph... illum olim urſerit: ſed verò, ſuam in H... landiâ famam cum Carteſii exiſtimatione ... tiquam potuiſſe conciliari. Quòd ſi Ul... jecti novæ Philoſophiæ progreſſibus non ... viam iviſſet, neceſſum ipſi fuiſſe illam ad... cere, vel ne quidem mutire umquam in di... tationibus: ad neutrum potuiſſe ſe anim... inducere, nimis provectâ tunc temporis ... te ſe fuiſſe, quàm ut Carteſii diſcipulus ... ret: ac ſatìs omnibus conſtare, quàm mo... ſtum ſit veteri Rectori Philoſophiæ au... diſputantes adversùs omnes ſuas Sen... tias, nullo jure gaudenti illas defende... ſaltem argumentando. Carteſio id agente ... uſurparet terminos in Scholâ uſitatos, oportuiſſe ſe adeſſe omnibus publicis Theſibus per- ſonam

ſonam ſurdam & mutam, ſe qui in iis ſemper ſe conſpiciendum præbuerat ſuâ ſubtilitate, & penetratione. Re ipsâ ſe Carteſium æſtimare. Animadvertiſſe in illius Philoſophiâ plurima optima, inter alia plurima, quæ ipſi duriora videbantur. Fuiſſe ſe cum Ariſtotele collocutum, ſuper iſtâ Philoſophiâ, veniſſeque in mentem, non eſſe impoſſibile partes diſſidentes aliquantùm componere, nec moleſtè laturum, ſi poſſet nobiſcum eâ de re privatim agere, idemque nos pariter vellemus; lubenter hanc illius accipimus conditionem; & omnibus remotis arbitris, ſequenti nos adloquitur ſermone.

Cernitis, inquit, Domini mei, ex eâ, in quâ hîc ſum, dignitate, magnas me partes habere in gratiâ & favore hîc regnantis Principis: majores adhuc in ejus arcanis habeo: judicare id poteſtis ex iis, quæ mihi confeſſus eſt, quæque ſatìs ſcio ipſum non ægrè laturum vobis a me illius nomine exhiberi. Hoc eſt, reverâ res ſuas & momenta valde cohærere cum illis illorum Philoſophorum, qui Ariſtotelicos ſe dicunt, verùm in ipſiſſimâ re non eſſe planè eadem, non magìs quàm ſua ipſius, in materiâ Philoſophicâ; hactenus tamen non indignatus eſt illa confundi. Oblectatio atque honor ille ſe videndi principem omnium Philoſophorum Europæ, qui in ipſum omnes communi conſenſu dignitatem ſui Principis congeſſerunt, ſatìs merebantur ut diſſimularet contrarietatem, quam offendebat in ratiocinatione plurimorum ex illis, qui ſe totos illi adhærerere profitebantur. Nec ſanè minimum gloriæ ipſius momentum addidit ipſa

illa diſſenſio, quam reperire erat inter juratiſſimos ejus ſectatores, qui ſinguli majori ſibi honori ducunt, & majori conatu enituntur ipſum in ſuis partibus habere, quàm vel ipſammet veritatem. Videre ſemet independentem a ratione, & ſolo auctoritatis ſuæ pondere arbitrum omnium diſceptationum philoſophicarum: placidè frui privilegio infallibilitatis inter ipſos etiam, qui Papæ & Conciliis eam dubiam faciunt, res erat gratiſſima, quâque contentus eſſe ſatis habuit, parùm curans, an bene vel malè caperent ſuam mentem: quandoquidem, quidquid dicerent, ab ſolo ipſo, juxta utraſque partes, ſemper ſtaret ratio. Verùm ex quo Carteſius, Gaſſendus, & alii nonnulli auctoritatis ipſius jugum excuſſerunt, adgreſſique fuere quò legitimam probarent ſuam agendi rationem, cum aliquo etiam ſucceſſu, monſtrare abſurditatem, vel exiguam ſoliditatem nonnullarum opinionum Scholaſticarum, quarum ipſum auctorem conſtituere contendunt, quoniam illuſtres maximè ejus diſcipuli communi conſenſu illas ipſi adtribuunt: convenire judicavit ut primâ datâ occaſione ſe oſtenderet, ac Publicum precaretur, imò etiam DD. novos Philoſophos, ut iſthâc in re ipſi legitimè ſatisfaciant. Apertè itaque declarat, ſe ſecedere multis in rebus a partibus illorum, qui ſe ipſius nuncupant diſcipulos. In Quæſtionibus Scholaſticis, multa dici ſuo nomine, quæ ſua non ſunt. Exempli gratiâ, circa Horrorem Vacui nullâ ſe culpâ teneri. Semet ipſum adfirmâſſe, & experientiâ probâſſe Gravitatem aëris, quæ hodie principii loco inſervit explicationi phyſicæ

Phæ-

Phænomenῶν, quæ maximè ſpectant & referuntur ad quæſtionem de vacuo. Neutiquam ſe genitorem eſſe infinitæ multitudinis exiguorum Entium, quæ introducta fuere in Philoſophiam Scholaſticam. Sæpiùs malè explicata fuiſſe ſcripta ſua; in iiſque vulgò ſatis pro Entibus Phyſicis ſumta, quæ in ideâ ſuâ meræ erant Denominationes, & Attributa Metaphyſica.

Modus, quo vobiſcum loquor, pergit ille, poſt illam, in quâ me verſatum fuiſſe olim noviſtis, pertinaciam, mihi apud vos inſervire poteſt, abſente Ariſtotele, loco litterarum, ut ita dicam, credentialium. Verùm id addam; poſtquam ipſi obviam facti eſtis extra Globum Lunæ, ipſum datâ operâ ad me miſiſſe nuntium, per quem juſſit, quòd ſi huc iter verteretis, me non deſore, quin vos de cogitationibus ejus informarem, ac de dogmatibus, vobiſque dicerem, quantumvis animoſus vobis contra Carteſium viſus fuerit, in illo colloquio, quod invicem habuiſtis, libenter ſe auditurum conditiones nonnullas pacis invicem faciendæ. Cæterùm non eſt hoc conſilium in arenâ captum. Dudum ejus conceptum & conſcriptum eſt conſilium; opus tantummodo ut vos illud videatis, & ſuſcipiatis id Carteſio oſtendere, ſi ex re judicatis. Reſpondimus, lubenter id nos facturos, ac nobis gratulaturos ſi aliquid adferremus, quâcumque demum ratione, ad reconciliationem duorum maximorum Philoſophorum, qui umquam exſtitere, & ad reunionem duarum partium, quæ ſolæ nunc temporis per omnem Europam eſſent conſpicuæ.

 Eve-

Eveſtigio ſumſit e muſæo, quod in interiori atrii parte erat, ubi nitidiſſimis loculamentis impoſiti plurimi libri optimè compacti, omnes ſpeciem præ ſe ferentes Librorum, quos neoterici Philoſophi per triginta hos vel quadraginta annos compoſuere, & quos veroſimiliter Ariſtoteles & Voetius legerunt: ſumſit, inquam, ex illò muſæo, quoddam ſcriptum, cui titulus: *De conſenſu Philoſophiæ veteris & novæ*. Habemus, dico illi, noſtri Mundi hominem, qui librum iſthoc titulo conſcripſit. Vidi, reſpondit ille, conſcriptuſque eſt eâ ratione, quæ oſtendat, ejus Auctorem profundè verſatum eſſe in omnibus Philoſophiæ partibus. Nullam ille mordicus partem defendit, egregiæ novit horum & illorum momenta, planéque aptus foret arbiter hoc in negotio. Imò etiam ex ejus præfatione præliminari deductum eſt quaſi axioma, quod omnino bono ſenſu gaudet, & de quo neceſſum eſt Ariſtotelem inter & Carteſium ſtatim convenire. Scilicet, Sectæ principes in Philoſophicis *neque omnia, neque nihil viderunt*. Simul nobis ſcriptum illud pacificum offert, rogatque ut in itinere cum commodo noſtro legamus: vellemus etiam nobiſcum adſumere, ut eò venientes propoſueramus, nonnullas animas ex Ariſtotele, quæ nobis comites eſſent eum uſque ad locum, ubi Carteſius erat, ut per illos reſciret, quam partem eligeret ille Philoſophus circa quæ proponebantur ipſi hoc in tractatu. Gratias itaque illi egimus pro eo, quo nos erat proſecutus, honore, cùm in nos iſtius negotii obeundi munus conferret: fidem ipſi fecimus,

Du Hamel.

pro

pro virili conaturos, ut ſucceſſu non careret; & poſtea quàm teſtati fuiſſemus ipſi noſtram agnitionem omnium ejus beneficiorum, petivimus ab illo, ut vellet permittere, quò iter proſequeremur, quandoquidem ſatis adhuc itineris conficiendum reſtabat, jamque complures horas impenderamus in id, quod jam a nobis confectum. Deduxit nos uſque extra Lyceum; & nonnulla mandata ubi dederat binis inde regionis animabus, quæ nobis non vulgaris notæ videbantur, juſſit ut nos ſequerentur, & petitâ veniâ diſceſſit.

Cùm totum Lunæ Hemiſphærium noſtræ oppoſitum Telluri percurrere cuperemus, perreximus versùs Septemtrionem; & ad ſiniſtram relicto Democrito, Thaletem trajecimus, & ad uſque Zoroaſtrem progreſſi fuimus; dein deſcendimus versùs Occidentem per deſertas terras, ubi vidimus ruinas priſcarum nonnullarum urbium, veluti Atlantis, Cephei, Hermetis, neminem offendentes animam, ad Lacum uſque Somniorum, cujus ad ripam tres ſeparatos reperimus ſpiritus, cum quibus per horæ momentum in tranſitu ſumus collocuti.

Offendimus primos duos, vehementer deteſtantes uxores, quas olim in Mundo habuerant. Unus ex illis duobus erat quidam Hermotimus, de quo loquuntur Tertullianus & Plinius, qui cùm noctu reliquiſſet ſuum corpus, obambulationis ergo, ut adſolebat nonnumquam, uxor ejus non amicè erga ipſum adfecta, re cognitâ, domeſticos compellat, iis oſtendit, evellens capillos ſuos, deſperatamque ſe gerens, corpus mariti ſui animâ

privatum, & interea adeò rectè omnia curavit, ut corpus pro more regionis combureretur, ante reditum animæ, ita ut illa deinde coacta fuerit alias terras quæſitum ire.

Alter ſpiritus erat Senator Romanus vocatus Lamia, quem ſua uxor ſimili dolo deluſerat, qui tamen tantùm non ſucceſſu caruiſſet. Etenim, ut ille nobis narrabat, anima redux corpus, quo loco reliquerat, quærens, nec inveniens, omnemque domum lugentem conſpiciens, ſuſpicabatur aliquid de eo, quod factum eſſet. E veſtigio ſe contulit ad locum, ubi pyra erat exſtructa, ad illum comburendum, ac ipſo advenit momento, quo ignis incipiebat rogum lambere. Haud opus judicavit, ut ſe corpori denuò uniret, ne teneretur omnino viva ardere, movit tantummodo linguam, ita ut plurimi eorum qui aderant exaudierint ore ejus egredientia bis hæc verba: *Non ſum mortuus, non ſum mortuus*. Verùm illa videns, præfectos funebri pompæ, qui ſine dubio ex conſilio agebant iſtius Uxoris, eâ re non moveri, ſivit illud cremari, ac ſedem ſuam fixum ivit in globo Lunæ.

Tertius, quem nanciſcebamur duobus millibus ulteriùs in horrendo ſpecu, erat celebris ille Johannes Duns Scotus, vulgò dictus Scotus, vel Doctor ſubtilis. Hactenus pro mortuo habitus eſt, atque etiam hâc occaſione rumores admodum ridiculi fuere diſperſi, & admodum nocentes famæ hominis adeò honeſti, quique optimè confutati ſunt. Veriſſimum autem eſt ipſum non eſſe mortuum; cùm reperiſſet verò ſubtilitate ſui ingenii ſecretum, quod tot alii habuere, pro mortuo ejus

exi-

xiſtimatum fuit corpus, ac humo mandaım abſente ſuâ animâ, quæ ſe etiam proriuit in globum Lunæ. Stipatus erat exiguis uibuſdam, neſcio quibus, quæ entia non ſunt, erùm quæ Formalitates adpellantur. Is eſt lle, qui primus mundo philoſophico illas cognoſcendas obtulit, iiſque famam conciliavit. Nihil eſt adeò elegans, tenue adeò, atque ſubtile: tantùm non nihil eſt. Quoniam nos philoſophos noverat, videbatur nobis humanum ſe velle præbere, exordiebaturque rogando nos, quid ſentiremus *de Univerſali a parte rei*, atque an non ſtaremus pro *Præciſionibus objectivis*. Senex noſter, quem præter ideas ſuas Carteſianas in Philoſophiâ adhuc bilis nonnihil urebat ab Ariſtotele commota, ferociter reſpondit, numquam nos iſtas ineptiſſimas ineptias admodum curâſſe: eſſe illud Hibernorum pulpamentum, neminemque noſtrûm adſpirare ad elogium a Buchanano olim exhibitum Philoſophis iſtius regionis, alioquin hominibus ingenio præditis, & bonis.

Gens ratione furens, & mentem paſta chimæris.

Quî ineptias & chimæras, refert Scotus? Vah! ſunt hæ pulcherrimæ & ſolidiſſimæ quæſtiones totius Philoſophiæ. Earum ope noſtro nos tempore excelluimus; ac ob ſubtilitatem, quâ iſtas quæſtiones tractavi, adquirere incepi dignitatem Doctoris ſubtilis. Ineptias & chimæras . . . . Heus! vos Philoſophi Galli, nonne hiſtoriam Univerſitatis Pariſienſis legiſtis? Quòd ſi non legiſtis, legite

 illam;

illam; atque videbitis num olim iſtæ res pro ineptiis ſint habitæ. Videbitis ſub regno Ludovici Juvenis, Rouſſelinum quempiam Armoricum, ducem Nominalium, armatâ manu in Pariſienſi Univerſitate diſputantem adversùs eos, qui pro Univerſali *a parte rei* ſtabant, ventumque ab argumentis ad gladios, ita ut hominis cædes inde evenerit. Videbitis, quod factum mihi dixerunt, poſtquam veſtrum ego Mundum reliqui: ſub Ludovico Undecimo, Aulam & Parlamentum ſeſe immiſcuiſſe philoſophicis diſſidiis, quæ vos pro ineptiis exiſtimatis: juſſu Regis catenis vinctos & religatos fuiſſe libros Nominalium cum interdicto numquam in poſterum illos aperiendi; utinam verò Deo placuiſſet, iſthæc Decreta non fuiſſe revocata artibus protectorum inanis iſtius Philoſophiæ, quæ Univerſalitatem non concedit niſi nominibus & conceptibus: ſolus ego profectò nunc temporis inScholâ regnarem.

Verùm, pergit ille animos capiens, nonne vos eſtis ex iis Philoſophis, de quibus inaudivi non ita diu, quorumque nonnulla vidi opera in quodam itinere, quod feci ad Ariſtotelem, qui pro auctore agnoſcunt certum quendam Nobilem Armoricum, qui adpellatur Carteſius? Profectò, inquit ſenex, ac honori nobis ducimus. Apage, refert ille planè commotus, proripe te hinc, Hæretice, qui honori tibi ducis iſtam Sectam profiteri, quæ ex ſuis Principiis, cogitur nuntium mittere fidei, quam adhibemus ſanctiſſimis noſtris Myſteriis.

Exiſtimat veſter Carteſius, extenſionem deter-

eterminatam eſſe de eſſentiâ corporis, ac ubi orpus ſemel præditum eſt magnitudine pedis ubici, æquè magnam contradictionem eſſe, lud eam extenſionem perdere, quàm concipere montem abſque valle. Contradictio itaue erit, corpus Servatoris Mundi, quod lurimorum pedum magnitudine gaudebat, omprehendi vel exiguiſſimæ conſecratæ Ioſtiæ particulæ ſpatio. Denuò, apage te xcommunicate, ac quoniam hîc me invito ıanere vis, cedo tibi locum, atque e veſtigio biit.

Ille Zelus non vulgaris movebat nos, atımen oblectabat: maximo autem adficiear gaudio, cùm, inde ubi profecti eſſemus, iderem binas illas animas Ariſtotelicas, quas Voetius nobis comites adjunxerat, occipere nter proficiſcendum reſumere argumentum coti, & fortiter urgere P. Merſennum & ſeem meum, qui omnem lapidem movebant, uò ſe huic negotio extricarent: verùm illi arumentum iis proponebant contra modum, uo Carteſius, & poſt eum Rohaltius in uis Diſſertationibus, conantur explicare myterium Euchariſtiæ, abſque accidentibus abolutis, quod ſanè mihi indignum non viſum, uod hîc adferretur.

D. Carteſius in reſponſione, quam dat ad *Quartas Objectiones* propoſitas adversùs ejus Methaphyſicas Meditationes, explicat myſterium Euchariſtiæ hâc ratione. Aït corpus J. C. poſt conſecrationem eſſe eodem in loco, quo ante panis fuerat; verùm eſſe adeò præciſè in eodem ſpatio, ut quocumque in loco verè ante conſecrationem dici potuerit, hîc

eſt panis, verè poſt conſecrationem dici poſſit, hoc eſt J. C. corpus. Ita ut, ſi concipiamus, ante conſecratîonsm, fuiſſe, vel in ſuperficie, vel in profunditate panis, pyramidalia quædam ſpatia, cubica, triangularia, occupata a particulis pyramidalibus, cubicis, triangularibus panis, debeamus concipere, cuncta iſthæc ſpatia, poſt conſecrationem, exactè occupari a corpore J. C. Unde juxta ipſum ſequitur, ubi dicimus, corpus J. C. contineri iiſdem dimenſionibus, eâdemque ſuperficie, præcisè quâ panis, intelligere nos iſthâc voce ſuperficiei, non tantùm illam exteriorem ſuperficiem, quæ totalem panis figuram terminat, verùm illam quoque, quæ terminat omnes partes, quæ ſunt in profunditate, ab invicem ſeparatæ poris quibuſdam & exiguis intervallis, ubi aër reperitur, vel peregrina quædam alia corpora: ita ut, ſi inſenſiles partes nonnullæ panis in motum redigerentur ab aëre, vel alio quodam corpore, nova ſubſtantia, locum inſenſibilium iſtarum partium occupans, ſimili ratione etiam in motum redigatur.

Huic ſuppoſitioni innixus D. Carteſius hoc modo argumentatur. Quod impreſſionem in ſenſus noſtros peragit, nihil aliud eſt, præter ſuperficiem corporum. Igitur onme corpus, eâdem quâ panis præditum ſuperficie, eaſdem, quas panis, in ſenſus noſtros peraget impreſſiones. Igitur, ſicut corpus J. C. præcisè ita eſt in eodem, quo panis, ſpatio, ut exactè eandem referat ſuperficiem, eaſdem debet excitare impreſſiones in ſenſus noſtros, quas panis, hoc eſt, debet reflectere lumen,

ut

ut faciebat panis, atque iiſdem cum modificationibus: quapropter eundem colorem & eandem figuram cernimus. Debet versùs centrum terræ premi, conatu ejuſdem materiæ, quæ antea panem eò premebat, ratione habitâ figuræ partium, ex quibus compoſitus erat; ac exinde eſt, quòd eandem ſentiamus gravitatem. Linguæ noſtræ nervos agitare debet, & ſe poris inſinuare eâdem ratione, quâ inſenſibiles panis partes; ac proinde eundem percipimus ſaporem, &c. Unde concludit, rectiſſimè hoc myſterium poſſe explicari, licèt non recurramus ad accidentia abſoluta, quæ manent ſine ſubjecto.

En igitur unam inter plurimas alias difficultatem, quam noſtri Peripatetici adversùs hanc explicationem propoſuerunt. Demonſtramus, illi dixerunt, juxta hanc hypotheſin, panem non poſſe mutari in corpus J. C. in Euchariſtiâ, verùm poſt conſecrationem panem tantummodo in Hoſtiâ dari.

Ut itaque ſuam facerent demonſtrationem, rogârunt P. Merſennum & ſenem 1. An in Principiis Carteſiii, omnium corporum materia, in ſe ipsâ conſiderata, ac independenter a diverſis modificationibus ſuarum partium, non foret ejuſdem generis: reſponſum fuit, ſic rem ſe habere. 2. An differentiam ſpecificam corporum juxta ipſos non conſtitueret diverſa configuratio, diverſus ſitus, diverſi motus partium iſtorum corporum: conceſſum fuit. His ſuppoſitis, inquiunt illi, evidenter concluſum imus, ſubſtantiam, quæ reperitur in Euchariſtiâ poſt conſecrationem, eſſe merum panem. Ma-

teria enim, vel ſubſtantia, quæ eandem configurationem partium habet, & eundem motum, ac, uno ut dicam verbo, omnes eaſdem modificationes, quæ eſſentiam panis conficiunt, panis eſt, juxta principium conceſſum. Jam verò ſubſtantia, quæ reperitur in ſpatio Hoſtiæ poſt conſecrationem, omnes illas modificationes habet, & non niſi virtute iſtarum modificationum concipimus, illam eandem quam panis habere ſuperficiem, ſumto vocabulo ſuperficiei eo ſenſu, quem ipſi dat Carteſius: nec, niſi virtute iſtarum modificationum, iſta ſuperficies eaſdem in ſenſus noſtros impreſſiones agit, quas ante conſecrationem panis: ob illam tantùm rationem, illa reflectit lumen præcisè ad eoſdem angulos, ad quos panis; recipit omnes eaſdem impulſiones quas panis, ac eaſdem determinationes materiæ, illam versùs centrum propellentis; eaſdem communicat agitationes cum nervis Linguæ, quas panis. Ergo ſubſtantia, quæ reperitur in ſpatio Hoſtiæ poſt conſecrationem, ex principiis Carteſii, formâ gaudet, vel eſſentiâ panis. Ergo panis eſt: Quod erat probandum. Atque exinde Peripatetici noſtri concluſerunt, non ſine ratione recurri ad accidentia abſoluta, in explicatione hujus myſterii.

Alteram præterea animadverſionem fecerunt in additamentum quoddam Carteſii ad hanc reſponſionem, quodque illam deſtruit. „Interea, inquit, corpus J. C. proprie loquendo, non ibi tamquam in loco „eſt, ſed ſacramentaliter. Quidpe adjunxerunt illi, quid eſt in loco eſſe, propriè loquendo,

quendo, niſi perfectè implere ſpatium, aliis corporibus tranſitum non concedere ſeſe offerentibus, ut in illud tranſmeent ſpatium, reflectere lumen, propelli versùs inferiora, in motu eſſe &c. Jam verò, juxta Carteſium, hæc omnia corpori J. C. in Hoſtiâ conveniunt. Ac e contrario idea, quam vulgò habemus exſiſtentiæ ſacramentalis, corpori quod in eo ſtatu eſt omnes illas proprietates non tribuit. Nemo enim ex iis qui de corpore J. C. locuti ſunt in ſacro Sacramento, contendit illud reflectere lumen, &c., contrariumque omnino adfirmant.

Tandem concluſerunt, deridendo plauſus, quos D. Carteſius ſibi iſthoc in loco dedit, ob modum intelligibilem, quo vult ſe explicuiſſe hoc myſterium, & ob beneficia, quibus ſibi obſtrictos reddidit Orthodoxos Theologos, quoniam iis ſuppeditavit opinionem, quæ longè meliùs convenit cum Theologiâ, quàm vulgares. Atque illi plauſus haud firmiori nituntur fundamento, quàm prophetia illa, quam habet paulò poſt, juxta quam dies veniet, quo poſtquam Mundus liberatus fuerit ab Præjudiciis Scholaſticis, omnia veterum noſtrorum Philoſophorum Dogmata, veterumque Theologorum ſuper iſthâc materiâ, commiſeratione digna erunt, ac inſtar umbrarum ſunt diſparitura, ad præſentiam luminis, quo pulchra illa novæ Philoſophiæ Principia impletura ſunt mentes omnium illorum, qui eâ rectè uti nôrunt.

Me quod attinet, dum hanc refutationem exſpecto, videtur mihi Carteſius ſatiùs feciſſe, quòd ſi generali reſponſo ſuo fuiſſet con-

tentus, quantumvis inepto, ſcilicet, eſſe ſe Philoſophum, non verò Theologum, nec id operam dediſſe, ut explicaret myſteria noſtræ Religionis ope principiorum Philoſophiæ. Hoc etiam in loco miratus fui, ad iſtiuſmodi reſponſa Carteſii non fuiſſe reſponſum denuò, præſertim cùm hîc ipſi res fuerit cum D. A.., qui numquam libenter poſteriores tulit in diſputationibus, & libris. Verùm credo me poſtea reperiſſe ſolutionem ultimæ illius difficultatis, in epiſtolâ quâdam, quam Carteſius dedit ad Patrem quendam Oratorii Doctorem Sorbonnæ, loquens de D. A..... Aït ibi, quantumvis ille juvenis Doctor ſit, ſe ipſius judicium unici pluris facere, quàm vel dimidii ſenum Sorbonnæ. Iſtiuſmodi blanditiæ nonne aptæ ſunt excutiendis armis animoſiſſimi adverſarii manibus?

Tom. I. Ep. 105.

Interea dum ſic diſputatio protrahitur, in quâ P. Merſennus & ſenex meus e re non judicârunt juxta formas præcisè ſe gerere, ubique ſatis habuerunt eludere difficultatem jocis, quos ſpargebant in accidentia abſoluta, quæ concludebant in exſilium mittenda eſſe ad deſertum Scoti, ut ipſi præſidio forent, & comitum loco cum omnibus illis exiguis formalitatibus, trajecimus Mare Tranquillum; ac brevi gyro inflectentes versùs dextram, Hipparchum, Ptolemæum, Peninſulam Fulgurum permeavimus, ac inde per Mare Nubium. Intravimus Peninſulam illam, de quâ ab initio locutus ſum, quam adpellant Peninſulam Deliramentorum: ita illa nominatur, quia ibi exiguæ illæ domunculæ globi Lunæ reperiuntur, habitatæ, magnam partem, a Chymicis,

cis, qui ibi Lapidem Philoſophorum quærunt, cùm in terrâ illum invenire non potuerint, ac plurimis Aſtrologis Judiciariis, qui ibi non minùs deſipiunt, quàm olim in noſtro Mundo, omneque tempus ſuum collocant in conficiendis Calendariis, ac corrigendis, ope exactarum ſupputationum, falſa Horoſcopia, quæ in vitâ ſuâ obſervârunt.

Inter alios Cardanum ibi offendimus, qui, licèt ſatìs egregiam Terram poſſideat ad Orientem in littore Oceani Tempeſtatum, non potuit tamen non frequenter collegas ſuos viſere. Admodum moleſtè ibi vitam ſuam agit; nondum ſe utpote qui potuerit liberare illo mœrore, quo ipſum adfecit famigeratum illud Eduardi VI. Regis Angliæ horoſcopium; cui prædixerat omnes præcipuos caſus, ipſi eventuros ultra annos quinquaginta, quique, infeliciſſimo omnium infortunio, mortuus fuit anno ætatis ſuæ quinto decimo. Duæ aliæ ejuſdem commatis cauſſæ ſemper ipſius profundam illam triſtitiam fovent. Prima eſt, mors filii ipſius, cujus & ipſum fefellerat horoſcopium, cùm non præviderat, quod tamen evenit, fore ut ille Mediolani decollaretur anno ætatis vigeſimo quarto, quia uxorem ſuam veneno e medio ſuſtulerat.

Altera verò, parva illa charitas, quâ Scaliger, & Thuanus erga ipſum uſi ſunt, in libris ſuis in omnem poſteritatem ſpargentes, fame ſemet ipſum enecâſſe. Iterum, inquit, profectò mendaces ſunt, videſque, quòd ſi mortuus eſſem, me hîc non fore. Verum eſt, cùm prædixiſſem diem meæ mortis in horoſcopio meo, quod ipſe feci, ac animadverterem,

terem, errâſſe me, nec viderem in me illo, quod prædixeram, tempore, ullum Symptoma propinquæ mortis, cubiculo me meo incluſi; nec a me impetrare potui, ut dein hominibus conſpiciendum me præberem; cùm omnia vitæ meæ momenta, quæ poſtea habiturus eſſem, tot mihi continuæ futuræ eſſent erroris exprobrationes, ſtatui corpus meum linquere, atque huc habitatum venire. Atque hâc ratione res geſta eſt. Conati ſumus ipſum conſolari de iſtis adflictionis cauſſis, famâ illâ, quâ, hiſce omnibus non obſtantibus, mundo innotuerat, homo veluti non vulgaris ſortis, & ſupra vulgum elati. Poſt illa veniam ab illo petimus, & e veſtigio ad Merſennum tendimus, ex quo occeperamus noſtrum iter ad globum Lunæ. Atque eò loci, duobus Peripateticis ad aliquot momenta a nobis ſecedentibus, legimus inter nos conditiones pacis Ariſtotelem inter & Carteſium, quas Voetius nobis commendârat, quarumque præcipuos articulos hîc referre adgredior. Duabus hoc ſcriptum conſtabat partibus. Prima modum diſponebat, quo Ariſtotelici & Carteſiani in poſterum ſe erga invicem deberent gerere, in libris, in diſputationibus, in converſationibus. Secunda, longa valdè, varias continebat propoſitiones, in quibus Ariſtotelici indulgenter ſe gerebant, ut ad Carteſianos propiùs accederent, & invicem exigebant, ut Carteſiani, quò ad Ariſtotelicos accederent propiùs, indulgentiùs nonnihil etiam ſe gererent. Secunda illa pars potiùs refutatio erat plurimorum dogmatum Carteſii, quàm tractatus de pace: idque mihi exinde

de anſam dedit cogitandi, non habituram effectum, quem ſibi pollicebantur, vel polliceri ſaltem ſe ſimulabant. Præterea adparebit, Ariſtotelem, vel ſaltem Voetium ipſi a Secretis, ſatis rectè fuiſſe informatum de iis quæ in noſtro acciderunt Mundo, pro & contra ſuas partes, illaſque adverſariorum ſuorum.

Tractatus compoſitionis inter Ariſtotelem Principem Philoſophorum, & D. Carteſium Novæ Sectæ ducem.

PRIMA PARS.

INjuriæ ne amplius invicem dicuntor, cùm ille agendi modus nullâ ratione philoſophicus ſit, etiam exſulare juſſus ab Scholis, mandato honeſtiſſimorum inter Philoſophos.

Matronæ & feminæ eruditæ in plateis Ariſtotelem non ampliùs pro fatuo habento & umbratico doctore: ſciunto, fuiſſe illum militem, hominem in Aulâ & negotiis verſatum, qui, antequam philoſopharetur, egregiè animo morem geſſerat, omniaque ſua abligurierat bona, haud tenuia profectò, utpote qui filius fuerit primarii Medici Regis Amyntæ avi Alexandri Magni, & fortaſsè numquam Philoſophum exſtitiſſe illo peritiorem artium aulicarum, ac hominem elegantiorem.

Ab alterâ parte, veteres Profeſſores philoſo-

loſophiæ in memoriâ habento, ut parcant D. Carteſium nonnullis epithetis donare, in quibus ipſum erga liberales nimis ſunt, pro fanatico ipſum ſemper habentes, inepto, ac nonnumquam Hæretico ſimul & Atheo. Voetius ab hoc ipſo tempore per ſe exhibet ipſi ſatisfactionem authenticam ſuper omnibus iis, ut ſuppleat illam, quam ipſi negârunt DD. Curatores Leydenſes, & Magiſtratus Ultrajectini, perſuaſi ab amicis dicti D. Voetii, qui admodum Carteſii eſt.

Ariſtoteles pro ſuis ne agnoſcito omnes libros compoſitos contra Carteſium, modo quodam nimio & injurioſo, veluti fortè eſt Tractatus, cui titulus: *Deliriorum Carteſii Ventilatio.* Vel ſaltem jubeto, eos corrigi, ac in novâ editione curari, ut nonnullæ deleantur expreſſiones nimis acerbæ.

Contrà, Carteſius etiam curato, in novis impreſſionibus, quæ inſtituentur operum nonnullorum ex Sectatoribus ſuis, ut auferantur præfationes quædam, vel potiùs ſatyræ quædam mordaces adverſùs Philoſophos Scholaſticos, ubi non ſatis illi ab invicem diſtinguuntur, ubique injuſtè omnibus attribuuntur vitia nonnullorum ſingularium, veluti, lubido vitilitigandi, confuſio, æquivoci termini, & ignorantia in rebus phyſicis curioſiſſimis.

Interdicitor omnibus Carteſianis, ne ſtatuant de meritis Ariſtotelis, antequam ipſius ſcripta legerint, præcipuè, antequam viderint ejus opera Logica, Rhetorica, Hiſtoriam animalium, atque alia, ubi de Phyſicâ agit particulari. Caventoque, ne judicent de charactere genii iſtius Philoſophi, ex Libris

bris ejus *de phyſico auditu*, qui minùs clari ſunt, quam alii, cùm fuerint Auctori ſuæ rationes, cur iſtos hâc ratione conſcripſerit, obſcurioreſque illi præterea ſucceſſu temporis redditi, ab longè plurimis Interpretibus & Commentatoribus, qui Græcè ſæpe loquuntur Latinè; quorumque nonnulli neutram linguam rectè calluerunt.

Pari ratione interdicitor omnibus Peripateticis, ne declament contra Philoſophiam Carteſii, antequam ſufficienter eam edocti fuerint, ſub pœnâ deriſionis, veluti deridendos ſe propinârunt nonnulli Auctores; qui ipſum numero Atomiſtarum adſcripſerunt, hoc eſt eorum, qui contendunt, corpora componi ex Atomis, vel particulis indiviſibilibus; vel ut alter quiſquam, qui feriò ad Carteſium ſcripſit, vidiſſe ſe tandem ſuis oculis materiam illius ſubtilem, feliciſſimo omnium caſu, cùm animadvertiſſet magnam quantitatem exiguorum corporum in aëre volitantium ope radii cujuſdam Solaris tranſmiſſi per hiantem aliquam ſui cubiculi feneſtram.

Denique rogat Ariſtoteles DD. Carteſianos, ne ipſi attribuant omnia, quæ videre eſt in Libris Diſcipulorum ſuorum, antequam ipſum conſuluerint; contrà promittens, neminem ſe donaturum nomine Carteſiani, niſi magnâ cùm circumſpectione, præcipuè, ubi agitur de certis quibuſdam junioribus Abbatibus, Equitibus, Jureconſultis, Medicis, qui in conſortiis Carteſianos ſe nuncupant, ut gaudeant titulo elegantis ingenii, quem nanciſcuntur nonnumquam ſolâ audaciâ loquendi ſine ullo diſcrimine de materiâ ſubtili, de globulis ſecundi

cundi elementi, de Vorticibus, de Automatis, de Phænomenis, nullius rei tamen, niſi illorum terminorum, gnari.

Secunda Tractatûs Pars.

Cùm articulus de Formis Subſtantialibus plurimarum turbarum & diviſionum inter ambas partes cauſſa fuit, ita ut videre eſt ex Actis Univerſitatum Trajectinæ, Leydenſis, Groningenſis, Andegavenſis; atque ut videre poſſemus ex iis Univerſitatis Pariſienſis, Cadomenſis, ac plurimarum aliarum, ſi iis curæ fuiſſet omnia acta conſcribere & deliberationes ſuper iſthoc negotio habitas; opus eſt etiam, ut hîc utrique hinc & illinc, nonnihil largiantur in commune pacis bonum.

Primò conquerebatur Ariſtoteles de primorum Carteſianorum teneritate, qui decere judicârant, ut vel nomen Formarum Subſtantialium indignè ferrent. Quippe, dato, dicebat ille, non intelligi iſthoc nomine, niſi proprietatum cujuſque corporis principium, idque quod efficit, ut corpus ita differat ab alio, ut uſus ipſi particulare exhibuerit nomen, illudque ſpeciem conſtituerit diſtinctam ab aliis corporis ſpeciebus: quid eſt hic quòd terminus adeò ingratus & inſolitus exiſtimetur? Ideam quod ſpectat, quam Peripatetici illi adjunxerunt, volentes ut ſignificet *Subſtantiam Incompletam diſtinctam a materiâ*, dicebat, cùm illa definitio nullibi in ſcriptis ſuis exſtet, ſaltem expreſſis concepta verbis, poſſe ſe, ſi liberet, non

non agnoſcere illam, ac in Commentatores Arabas, veluti iſtius entis creatores, remittere omnes jocos & procacia dicta, quæ protulerunt novi Philoſophi ſuper iſtâ re. Verùm, nondum ſe eò perveniſſe: Carteſianos nondum aliquid ſolidi contra id ſyſtema edidiſſe. *Subſtantiam incompletam* non eſſe chimæram; quandoquidem anima rationalis abſque omni dubio illam in homine qualitatem ſuſtinet. Princeps illorum Axioma ad ſubvertendas Formas Subſtantiales materiales, ſcilicet, Quidquid materiale eſt, eſſe materiam, apertè falſum eſſe, ſicuti iis centies fuit reſponſum, cùm motus & figura, quæ res ſunt materiales, non tamen materiâ conſtant; atque adeò exiſtimare ſe vulgarem doctrinam de Formis Subſtantialibus pro ſuâ verâ doctrinâ. Nihilominùs, inquit, videbimus, quomodo ſe geſſerit Carteſius, quibuſque officiis nos ſit provocaturus. Ubi beſtiis animam largitus fuerit, Peripatici deliberaturi ſunt, ecquid in aliis nonnullis indulgentiùs ſe velint gerere.

Dehinc plurimas proferebat rationes, ut Carteſio perſuaderet, ne ſe eâ in re difficilem præberet adeò: monſtrabat, illum Philoſophiæ ipſius articulum totum orbem ad rebellionem concitâſſe. Poſſe ipſi condonari, quòd ita illi ſe mancipâſſet opinioni, ſi primus ejus auctor foret: verùm ſatis conſtare, illam ideam ante ipſum in mentem veniſſe Hiſpano cuidam, nomine Pereyræ, ac nonnullos eò malignitatis proceſſiſſe, ut adfirmârint, ipſum hauſiſſe illam ex Libro iſtius Hiſpani, antequam ex propriis ſuis eam deduxiſſet principiis. Iſtam opinionem ipſi jam omnem, quem inde

inde ſperare potis erat, honorem conciliâſſe: habitam in mundo pro paradoxo ingenioſo, de quo ipſe & ſui diſcipuli ſubtiliſſimè diſſeruerunt, quodque interea non defuerat turbandis & angendis Philoſophis Scholaſticis: verùm riſum excitari honeſtiſſimis & perſpicaciſſimis hominibus, ſimulac quis adgrederetur ſeriò illud defendere, veluti veritatem. Notum eſſe, primum illud effectum fuiſſe, quod produxerant in animis Lectorum prolegomena Libri cujuſdam inſcripti, Anima Brutorum, Libri ingeniosè omnino conſcripti, in quo ſibi nimis ſeriò finem proponit Auctor, converſionem Philoſophorum illo ſuper articulo. Nec adferri vel unicam validam rationem, ad evertendum præjudicium totius humani generis eâ in re. Numquam demonſtratum iri, ens quoddam inter medium inter ſpiritum & materiam eſſe rem impoſſibilem. Promiſſum Carteſianorum explicandi, ope ſolius diſpoſitionis machinæ, omnia quæ nos miramur in beſtiis, maximopere eſſe chimæricum, numquamque liberatum eſſe. Ubi in genere de iſtis materiis loquerentur, nonnumquam dicere eos aliqua, plauſum quæ merentur quendam: verùm ubi ad particularia magìs deſcenderetur, nil miſerius, nilque minùs ferendum. Solam ideam modi agendi brutorum in infinitis occaſionibus, comparatam cum illo paradoxo, abſurdum illud exhibere. Quòd ſi reſponderetur, illud argumentum nimium probare, ac ex eo poſſe probari, bruta ratiocinio uti, eſſe cur fateremur illam inſtantiam negotium faceſſere Philoſophis: nec facilè eos ſe illi difficultati

poſſe

poſſe eripere: verùm tandem, quantumvis meleſta iis fuerit, argumento ipſorum nihil de vi ſuâ decedere, illamque e contrario inſtantiam infinitis modis difficultatem augere. Etenim, ſi non niſi cum moleſtiâ poſſimus capere, bruta non ratiocinari, videntes illa agere modo adeò mirando, & ſibi conſentaneo, quâ ratione poſſimus capere, illa ne quidem cognoſcere. Denique remiſſiùs ſe gerere hâc in re erga D. Carteſium, non eſſe palinodiam cantare, cùm ipſe confeſſus fuerit, ſe non poſſe demonſtrare, bruta carere animâ cognoſcenti, veluti neque contrarium ipſi aliquis oſtendere nequiret. *Epiſt.67. Tom. I.*

Dehinc ad alia progreditur Ariſtoteles cum præcedentibus conjuncta: ſcilicet ad eſſentiam animæ, quam Carteſius conſtituit in actuali cogitatione, veluti eſſentiam corporis in extenſione actuali & determinatâ. Dicit ipſi, licèt plurimis adficiatur ſcrupulis circa methodum, & modum, quo conatur ille demonſtrare diſtinctionem corporis & animæ, multiſque non admodum ſatisfactum fuerit iſtis reſponſis, quæ exhibuit ad objectiones D. Gaſſendi, & D. Arnaldi; tamen non illi dubiam ſe facturum gloriam, quam promeruit nova quædam & ingenioſa in eâ re proferendo. Imò vel propenſum eſſe ſe, ad ſequendum ipſius opinionem circa eſſentiam animæ, modò ſatìs ipſi faciat de unicâ difficultate ab experientiâ deſumtâ.

A compluribus, addit, ſcio hanc tibi objectam difficultatem. Quòd ſi eſſentia animæ conſiſtit in actuali cogitatione, animam numquam poſſe eſſe ſine cogitatione; ac proinde ex eo ſequi, nos cogitâſſe etiam cùm

adhuc in noſtræ matris degeremus utero. Non refugis huic conſequentiæ ſubſcribere; ac ad id, quod adjungitur, ſi ſemper eo in ſtatu cogitâſſemus, impoſſibile fore, nos ſaltem non meminiſſe aliquarum cogitationum, quas tum habuiſſemus, reſpondes, nos earum non recordari, quia memoria conſiſtit in quibuſdam veſtigiis, quæ impreſſa cerebro, cùm de objecto quodam cogitaremus, ibi conſervantur, cerebrumque infantium eſſe humidum nimis & molle, quàm ut conſervet illa veſtigia, ſaltem eo modo, qui requiritur, ut memoriam producat. Urgeris autem circa iſtud reſponſum, quandoquidem in diverſis ſcriptorum tuorum locis diſtinguis duas memoriæ ſpecies, quorum altera a corpore dependet, iiſque veſtigiis impreſſis cerebro, altera merè intellectualis dependet a ſolà animâ. Diſtinguis etiam duas cognitionum ſpecies. Has dependentes ab organo, illas immateriales, quæ planè non ab organo dependent. Captu quidem facile, diſpoſitionem cerebri infantis cujuſdam poſſe cauſſam eſſe, cur anima non recordetur cogitationum inde dependentium: verùm memoriam illam quod attinet merè intellectualem, conceptus illos puros, cognitiones illas immateriales omnino independentes ab organo, & variis iſtis ſinubus, vel veſtigiis cerebri, humiditas illius nihil ad ea facit, ac deberemus ſine dubio noſtrarum cogitationum meminiſſe, ac motuum noſtræ voluntatis, qui ipſas aliquando inſecuti fuerunt. Reſpondebis, infantem in utero matris ſuæ non gaudere puris iſtis cognitionibus, nec uſu memoriæ ſuæ intellectualis: verùm illius a te legitimam rationem peto, ac ejus convinci lubenter gau-

Epiſt. Tom. 2.

Tom. 2. Ep. 4. 38.

de-

derem. Re ipsâ Voetius expreſſis verbis duobus ſuis legatis mandaverat, ut Carteſium adcuratè hoc curarent explicare.

Ab eſſentiâ animæ tranſitus fit ad eſſentiam corporis. Ariſtoteles exorditur hunc articulum confitendo errorem quendam, in quem olim inciderat, ſimulque Carteſium monendo, ut ab eodem ſibi caveret. Credideram, inquit, Mundum ab omni æternitate fuiſſe, innixus falſo cuidam principio, quo me occupari paſſus eram; ſcilicet Deum eſſe Ens neceſſarium, in ſuis actionibus, æquè ac in ſuâ exſiſtentiâ. Simile aliquod & tu habes, ex quo idem ille error neceſſariò ſequitur, nec ego primus ad hoc mentem ut adverteres feci. Dicis non tantùm, eſſentiam materiæ conſiſtere in extenſione, verùm etiam, materiam, extenſionem, ſpatium, tria tantùm ejuſdem rei diverſa eſſe nomina; unde ſecundùm te ſequitur, ubicumque concipimus extenſionem, & ſpatium, ibi neceſſariò eſſe materiam: ac ex eo concludis, Mundum limites non agnoſcere & infinitum eſſe, vel, ut tu loqui amas, indefinitum in extenſione. Terreſtris Mundi adverſarii tui demonſtrare tibi voluerunt, ex iiſdem principiis ſequi; Mundum & materiam ſemper fuiſſe; ſemperque ex neceſſitate exſtitura. Etenim eandem ob rationem ob quam nunc materia datur, ubi concipimus, nunc dari ſpatium & extenſionem, etiam ſemper exſtitit ſemperque exſiſtet matetia, ubi concipimus ſemper exſtitiſſe, ſemperque exſtiturum ſpatium & extenſionem. Jam verò concipimus ſemper fuiſſe, & ſemper futura, quodcumque evenerit,

 ſpa-

ſpatium & extenſionem, ubi nunc Mundus eſt. Cautione & prudentiâ indiget hoc negotium, poſſetque juſtam reddere agendi rationem Doctorum & Magiſtratuum Ultrajectinorum erga te. Hic inter nos, pergit, ratiocinium quod in has te turbas conjecit, merum ſophiſma eſt. Attributum Reale, inquis, nequit convenire nihilo: jam extenſum eſſe eſt Atrributum Reale: igitur nihilo nequit convenire. Convenit tamen ſpatio, illique quod concipimus eſſe ultra Firmamentum, & quod nomine ſpatii adpellamus. Igitur quod ultra Firmamentum eſt, eſt reale. Igitur, quod in indefinitum eſt ſupra Firmamentum, eſt materia. Igitur, materia, extenſio, & ſpatium una eademque res ſunt.

Deberes equidem agnoſcere vitium iſtius ratiocinii duabus in partibus. Primò, ex conſequentiâ, quæ inde deducitur pro æternitate Mundi, quæ per ſe Menti ſe offert. Secundò, ex eo, quòd ſuppoſito, falſum eſſe, ut reverâ eſt, Mundum eſſe æternum, argumento omnino tuo ſimili tibi demonſtretur, aliud Attributum, non minùs reale quàm illud cui tu id nominis exhibes, nihilo convenire. Quippe ſi Mundus non eſt æternus, manifeſtum eſt, poſſe dici, nihil eſſe æternum; quia, Deum ſi excipias, nihil ab omni æternitate fuit. Jam æternum eſſe, ut mihi quidem videtur, eſt Attributum reale æquè, ac extenſum eſſe. Sicut autem reverâ abſurdum eſt, ſi dicamus, Attributum reale nihilo convenire, neceſſum eſt, quò omnia largiaris, ut conveniat inter te tuoſque adverſarios, illa vocabula *extenſum & æternum*, ubi attribuuntur

tur nihilo & ſpatio, ſupponere in mente noſtrà ideas planè diverſas ab iis, quas in eâ agnoſcimus, ubi illas attribuimus Enti, vel corpori. Quando illas Enti vel corpori attribuimus, *poſitivum* quid deſignant. Ubi verò nihilo & ſpatio attribuimus, *negativum* quidpiam ſignificant. Brevi, ubi dicimus, nihil eſſe æternum, dicere volumus, nullum Ens creatum eſſe ab omni æternitate. Atque cùm dicimus, eſſe tantummodo ſpatium quoddam extenſum ultra Firmamentum, volumus dicere, nullum ibi dari corpus, & poſſe aliquid ibi dari, ad implendum illud vacuum, ac nihil illud corporis, quod ibi concipimus. Non poſſumus de nihilo & de ſpatio loqui, quin aliquid de iis dicamus: non poſſumus exprimere id quod de iis cogitamus, niſi terminis uſitatis: illi termini ſunt iidem, quos adhibemus loquentes de Entibus, verùm ſi reflectamus ad ideas noſtras, videbimus, illas eſſe valde diverſas, nec verò ſe invicem evertere, ut tu contendis.

Atque hæc mihi in mentem revocant exiguam quandam inſtantiam ſatis ſubtilem in hâc materià, quam tibi olim exhibuit D. Morus Nobilis Anglus, qui tam liberali manu in te laudes contulit ſuis in epiſtolis, ut tibi adplicuerit quod de Homero Horatius; *Qui nil molitur ineptè.* Hanc tibi propoſuit quæſtionem. Si Deus Mundum deſtrueret, ac non multò pòſt de novo produceret, an non poſſemus dicere, exſtitiſſe, vel ſaltem concipere nos, exſtitiſſe aliquod intervallum inter deſtructionem & reproductionem Mundi, licèt nihil reale iis intermedium fuiſſet? *Epiſt. 68. Tom. I.*

Unde conatus eſt concludere, poſſe etiam dici, in aliquo cubiculo, ubi nobis imaginaremur Deum omnia deſtruxiſſe corpora, quæ inter parietes ſubſiſtunt, fore longitudinem, latitudinem & profunditatem, uno verbo extenſionem, licèt nihil reverâ adeſſet ibi reale. Credidit ſe tibi negotium faceſſere, ſupponens, primam ſuam propoſitionem a te conceſſum iri, de quâ videtur poſſe dubitari: verùm exiſtimo captus erat, hoc habebat, cùm tu ipſi negâſti, poſſe nos concipere in ſuâ Hypotheſi aliquam durationem, & intervallum aliquod, inter deſtructionem & novam productionem Mundi. Auctor cujuſdam epiſtolæ datæ aliquot abhinc annis ad Philoſophum quendam Carteſianum, ſatis oblectat Lectores ſuos ſuper iſto tuæ Philoſophiæ articulo, diverſis hypotheſibus ſcitiſſimis, quas proponit. Verùm, ſicut ineptias non adamo & novi characteris Philoſophus ſerius ſit oportet, ut te inducam ad propiùs accedendum ad nos, propriis tuis tantummodo Principiis uti inſtitui. Vulgatam ſuppono hypotheſin, quâ ſupponitur, Deum annihilare omnem cubiculi cujuſdam aërem, non ſinendo ut aliud eò intret corpus, vel non producendo etiam aliud in eo corpus. Hâc ſemel receptâ hypotheſi, manifeſtum eſt, concipere nos extenſionem ſine corpore, ac per conſequens eſſentiam materiæ non conſiſtere in extenſione. Non voles itaque hypotheſin admittere: atqui demonſtraturus ſum, nullam in ſe continere contradictionem, argumento omnino ſimili ex iis uni, quæ tu aliâ in re adhibes, quodque demonſtrativum cenſes.

Ep. 69.

Etenim

Etenim ſecundùm te, quia ego diſtinctè concipio rem cogitantem, licèt ſimul non concipiam extenſionem, & quia diſtinctè concipio extenſionem, licèt ſimul non concipiam rem cogitantem, rationem habeo concludendi, rem cogitantem eſſe diſtinctam ab extenſione, atque extenſionem a re cogitanti. Atque hâc ratione tu demonſtras diſtinctionem corporis & animæ, ſimulque evidens eſſe, unum abſque alio poſſe eſſe, ſine contradictione, atque id quidem, ope magni illius principii, quo ſtatuis, differentiam idearum eſſe unicam viam cognoſcendi diſtinctionem realem rerum, ac illarum ab ſe invicem independentiam. Circa illud principium, en quo modo ratiociner. Diſtinctiſſimè concipio deſtructionem, vel annihilationem corporis cujuſdam, non concipiendo productionem alterius cujuſdam corporis. Igitur nullam implicat contradictionem, corpus aliquod deſtrui, abſque quòd aliud quoddam producatur. Igitur nullam implicat contradictionem, aërem inter quatuor cubiculi cujuſdam qui muros eſt, deſtrui, licèt nullum aliud corpus producatur locum ejus occupans.

Vel etiam, quod eodem redit. Diſtinctiſſimè concipio partem quandam materiæ, abſque omnibus aliis, atque diſtinctiſſimè concipio omnes reliquas, hâc unicâ exceptâ, exempli gratiâ, aëre incluſo huic cubiculo: hypotheſis itaque mea æquè ſtabilita eſt, ac conſequentiæ, quæ naturaliter inde deducuntur, adversùs tuam opinionem, circa eſſentiam materiæ. Si ergo aliquo erga pacem amore

adſiceris, ſatis es habiturus, ſi dicas, quòd ſi in ſuo naturali ſtatu res intuearis, materiam neceſſariò extenſam eſſe: verùm non ampliùs iſto uteris loquendi genere quod nemo eſt qui non ægrè tulerit: extenſionem, materiam, & ſpatium eandem eſſe rem.

Hæc inſultatio, quâ Ariſtoteles Carteſium petebat, adhibens Principiorum ſuorum partem ad alia evertenda, patientiam ſeni noſtro ademit, &, tantopere ipſi diſplicuit, ut parùm abſuerit, quin illud ſcriptum e veſtigio in fruſta diſcerpſerit. Imò conſiderandum nobis ſubjiciebat, an vellemus abire, inſciis Legatis Ariſtotelis, qui ſatis longè a nobis aberrabant, dicens, conſortium iſtiuſmodi hominum ipſum peſſimè habere: verùm oſtendimus ipſi id neque decorum eſſe, neque ad honorem Carteſii facere. Illud ſcriptum non tam de pace ineundâ agere, quàm Carteſium ad certamen cum Ariſtole provocare: forſitan Carteſium id ſpreturum, verùm etiam poſſe fieri, ut e re judicaret ad id reſpondere: gaudere Carteſium dotibus mirandis adeò ad perſuadendum mentibus, & Mundi productionem rem eſſe ita ſtupendam, ut ſine dubio binæ illæ animæ, quæ nos comitabantur, non poſſent non Carteſianiſmo ſe mancipare, ubi vel tantillum iis explicuerit Carteſius ſuum myſterium ratione quâdam plauſibili. Hæ rationes illum revocârunt, noſque perreximus ſcriptum hoc legere, dum duas iſtas animas opperimur.

Ab eſſentiâ animæ & corporis Ariſtoteles tranſibat ad eorum unionem, & relationes quas habent ad ſe invicem. Exordiebatur a ſummis laudibus, quas in Carteſium congerebat,

rebat, quòd oculos aperuerit Philoſophis, iiſque oſtenderit inutilitatem & abſurditatem illarum ſpecierum intentionalium in multis rebus, dicens, ipſum nil docuiſſe in hâc materiâ, quòd adeo novum debeat videri, adeóque incomprehenſibile Peripateticis, niſi proprii Præceptoris ſui deſeruiſſent dogmata, ut ſequerentur chimæras Commentatorum. Semet ipſum expreſſis verbis plurimis in locis notâſſe, ſenſum tactûs diffuſum eſſe per omne corpus, & per omnia organa aliorum ſenſuum: viſionem, guſtum, perceptionem ſonorum & odorum non produci, niſi ope motûs localis nonnullorum corporum, attingentium & moventium organa diverſorum ſenſuum. Reverâ, ſi ille motus non ſufficeret faciendo, ut objecta illa animæ percipienda exhibeantur, ſpecies intentionales, quæ in ejus locum ſubſtituuntur, non magìs aptas eſſe producendæ iſti perceptioni. Imò ne rejicere ſe quidem, quod Carteſius docet de ſede animæ in glandulâ pineali, ſi id tantùm proponatur pro merâ hypotheſi, quandoquidem non majoris ſunt æſtimanda, quæ reliqui omnes dicunt: verùm ferre neutiquam ſe poſſe, ut illud Syſtema exhiberetur pro conſtanti & demonſtratâ veritate. Reverentiam illam, quam D. Carteſius præ ſe ferebat erga veritatem & experientiam, debere in cauſsâ eſſe, ut ſuis adſertionibus in hâc materiâ modum adhiberet.

Obſecrabat etiam Carteſium, ne adeò malè mulcaret eos, qui docent, animam per totum corpus diffuſam eſſe. Atque en tibi ea quæ adjungebat, ut monſtraret, Carteſianos

non admodum eâ in re æquos ſe gerere. Etenim, ajebat, ubi tu doces, animam collocatam eſſe in glandulâ pineali, vel exiſtimas, illam omnem iſtius glandulæ occupare extenſionem, vel tantùm aliquam ejus indiviſibilem partem. Si illa occupat omnem glandulæ extenſionem, illa igitur etiam ipſa extenſa eſt: hæc enim conſequentia omnino ſimilis eſt illi, quam tu formas contra Philoſophos illos, qui adſerunt, animam per omne diffuſam corpus eſſe. Quòd ſi illa ejus tantùm indiviſibilem partem occupet, poteſt igitur dari aliqua materiæ pars, quæ indiviſibilis ſit, & non extenſa; atque hâc ratione admittendo hanc disjunctivam, animæ proprietatem quandam adſcribis, quam non agnoſcis niſi in materiâ, vel materiæ largiris aliquod attributum, quod omni aliâ occaſione ipſi denegas, quodque juxta Principia tua contendis, quâcumque intelligatur ratione, non eſſe proprium niſi animæ ſpiritualis. Præter hæc omnes nervi, vel radiationes ſpirituum, qui e glandulâ pineali exeunt, vel qui eam ingrediuntur, non poſſunt ab eodem indiviſibli glandulæ puncto prodire, nec in eo terminari; atque adeò, quòd ſi anima non eſſet niſi in quodam puncto iſtius glandulæ indiviſibili, illa ibi omnia objecta nequiret percipere. Quòd ſi tu reſpondeas, animam non eſſe in glandulâ, veluti aliquod corpus eſt in alio corpore, vel corpus quoddam in loco quodam: animam, utpote qui ſpiritus ſit, non eſſe in illa glandulâ, niſi quòd in eâ agat, in eâ cogitet, in eâ velit, in eâ percipiat objecta, ac veluti diverſæ impreſſiones objectorum terminan-

minantur in diverſis punctis glandulæ, ubi illa eas percipit, poſſumus dicere, animam in totâ eſſe glandulâ. Philoſophi illi, quos impugnas, inſtantiam habent paratam, quam tibi opponant. Quippe ſi anima agit, vult, cogitat, percipit objecta in omni illâ glandulâ, hoc eſt in ſpatio admodum diviſibili, hoc ſi ſufficit, ut dicere queamus, illam eſſe in totâ pineali glandulâ, ex veritate etiam dicere poſſumus, juxta illorum Syſtema, animam eſſe in toto corpore, quandoquidem agit, & percipit objecta in toto corpore, quandoquidem ea videt in oculo, ut tu dicis, quandoquidem ea percipit in illo loco pinealis glandulæ, ubi nervus terminatur opticus, vel radiationes ſpirituum ab iſto nervo prodeuntium: illam ſonos percipere in aure, ut tu dicis illam eos percipere in alio aliquo glandulæ pinealis puncto, in quo terminantur nervi, vel radiationes iſti inſervientes perceptioni, &c. Atque ita putatitium illud Philoſophiæ monſtrum, illa ſcilicet præſentia animæ per totum corpus, quæ facit, ut illa ſentiat in manu, quæ pungitur, ut immediatè illam manum moveat retrahendo, ubi puncturam ſentit, ut ex ſe ipsâ pedem moveat, ut illum promoveat, non mihi amplius monſtrum videtur, nec præjudicium infantiæ evidenter falſum; cùm illa præſentia animæ in toto corpore, haud alia eſt præter illam, quæ ipſi adſcribitur in pineali glandulâ, cùm glandula pinealis æquè ac totum corpus extenſa ſit. Nihil hîc enim ad rem facit exiguitas. Quid eſt igitur, cur deridiculo habeas illam extenſionem potentialem ſpiritûs

tûs cujuſdam, quæ diverſa non eſt ab illâ, quam Carteſiani admittunt, modò utrumque explicetur legitimè; ac profectò parùm abeſt, quin in illo ſyſtemate explicare poſſimus omnes ſenſationes æquè convenienter, ac in illo glandulæ pinealis.

Ex his omnibus concludebat Ariſtoteles, D. Carteſium debere confiteri cum ſapientiſſimis & minùs pertinacibus Philoſophis, relationem, quæ intercedit animæ cum corpore, perceptionem objectorum quod ſpectat, eſſe myſterium humanæ menti incomprehenſibile; poſſe rectiſſimè explicari modum, quo objecta in ſenſus noſtros agunt, atque etiam, quâ ratione actio illorum cum cerebro communicetur; verùm, ibi ſubſiſtendum eſſe, niſi ineptias & nugas proferre amemus, vel propoſitiones in ſe ipſis periculoſas, vel inconcluſionibus, quas inde deducere eſt.

Ep. Carteſ. Tom. I. Epiſt. 69.

Laudat etiam hîc Carteſii ſinceritatem, quâ confeſſus eſt, nihil in ideâ animæ vel ſpiritûs dari, ex quo concludi poſſit, productionem motûs iis impoſſibilem eſſe; & ſimul culpat temeritatem Carteſianorum, qui deinde audacter adfirmârunt, nullam creaturam, quæcumque fuerit, poſſe motum producere. Verum eſt, adjungit paulò maligniùs, iſtud paradoxum, quantumvis parùm fundatum, eſſe unum ex præcipuis conſequentiis ſyſtematis Carteſiani: abſque hoc enim ſi foret, quâ ratione ſemper eadem motûs quantitas in Mundo poſſet dari, in quo tot exſiſtunt animæ, tot Angeli, tot Dæmones, quibus nulla major voluptas, quàm ſingulis momentis motum producere. Verùm majorem

eò

eò laudem promeritus eſt D. Carteſius quòd commodis veritatis poſthabuerit ſuum ſyſtema, quod tantopere deperit. Sequens articulus agebat de magno illo D. Carteſii Paradoxo; Eſſentias rerum, & veritates, quæ neceſſariæ adpellantur, non eſſe independentes a Deo, nec eſſe immutabiles & æternas, niſi quia ita Deus voluit. Deum eſſe cauſſam totalem & efficientem veritatis propoſitionum. Deo æquè liberum fuiſſe efficere, ne verum foret, omnes lineas ductas a centro ad circumferentiam eſſe æquales, ac non creare mundum; atque en tibi præcipua eorum, quæ prolixiſſimè diſſerebat hâc de re Ariſtoteles. *In Reſp. ad 5. object. Epiſt. 110. Tom. I.*

Ajebat, ſe non ſatis ſcire quid vellent illa verba: *Deus eſt cauſſa efficiens & totalis veritatis propoſitionum.* Cùm veritas alicujus propoſitionis non ſit Ens, verùm relatio mera conformitatis, quâ gaudet cum ſuo objecto, non poteſt propriè loquendo cauſſam habere efficientem; ac ſi aliquo in ſenſu poſſumus dicere, illam habere cauſſam quandam efficientem, illa alia nequit eſſe præter mentem vel linguam illius, qui propoſitionem pronuntiat. Rogabat præterea, an D. Carteſius in genere loqueretur de omnibus veritatibus neceſſariis, an ſolummodo de nonnullis? Non poteſt, pergebat, de omnibus loqui: etenim nullum dubium eſt, quin non credat Deum poſſe, vel potuiſſe facere, ut hæ propoſitiones falſæ fuerint. *Datur aliquis Deus: Deus cauſſa libera eſt omnium Entium: Deus eſt Ens neceſſarium.* Oportet igitur, ut loquatur de propoſitionibus, quæ de-

Ibid. de creaturis conficiuntur; quandoquidem, prout loquitur in unâ ex ſuis epiſtolis, Deus eſt auctor eſſentiæ æquè ac exſiſtentiæ creaturarum. Verùm animadvertat, veritates, quæ ſpectant eſſentiam creaturarum, habere neceſſariam quandam conjunctionem cum iis quæ ad eſſentiam Dei pertinent; ac ſi unæ falſæ eſſe potuerint, potuiſſe & alias, exempli gratiâ, hæc, *Creatura eſſentialiter dependet a Deo*, eſt propoſitio quæ pertinet ad eſſentiam creaturæ, ſi illa potuit eſſe falſa, altera hæc etiam falſa eſſe potuit. *Deus eſt arbiter*, & *cauſa libera omnium Entium*: una enim vera eſſe nequit, niſi vera ſit & altera; nec una falſa eſſe poteſt, niſi falſa ſit etiam altera. Atque hìc Ariſtoteles auctor erat Carteſio, ut caveret, ne profunda illa reverentia, quam ſimulabat erga omnipotentiam Dei, non tantùm in ſuperſtitionem degeneraret, verùm etiam, ne eò progrederetur, ut blaſphemias ipſum concludere faceret.

Poſt illa, verâ fide agnoſcit Ariſtoteles Carteſium adcuratiùs & exactiùs explicuiſſe, quàm ipſemet fecerat, naturam plurimarum qualitatum ſenſibilium: veluti duritiei corporum, liquiditatis, virtutis elaſticæ, Frigoris, Caloris &c. Et ut monſtret, nil ſe niſi veritatem ſibi propoſuiſſe, palinodiam nullâ circuitione uſus cantat circa æternitatem Mundi, & ſphæram Ignis. Cùm autem illa Ignis ſphæra ſit ex præcipuis partibus Syſtematis Peripatetici, & ex pulchris ſui Mundi, petit, ut D. Carteſius ſaltem viciſſem abdicet omnes ſuos Vortices, adversùs quos plures adfert rationes. Verùm cùm ex

nobis

nobis reſciviſſet Voetius, Carteſium jamjam hoc ſyſtema exſequi adgreſſurum, noſque ad illum proficiſci, ut eſſemus teſtes magnæ iſtius actionis, margini notam adſcripſit, quâ pollicebatur, experientiâ ſe contentum fore; ac dato, quòd reſponſura ſit promiſſis Carteſii, receptum iri illius Vortices ſaltem pro bonâ hypotheſi, ad explicanda Phænomena Mundi, quem Deus creavit. Illud etiam adjungebat, quòd ſi Carteſius ſucceſſu deſtitueretur, ipſum coactum iri conſentire, ſuam Phyſicam, quæ fere tota iis innititur, ædificium eſſe fundamentis deſtitutum: contentum eum debere eſſe laude omnibus Sectis communi, ſcilicet, Philoſophiam habere quidpiam boni & veri, ac cum omnibus conſentire reliquis, in eo, ſcilicet Mundum condere & Syſtema Philoſophiæ, in omnibus ſuis Principiis verum, & in omnibus concluſionibus, eſſe iſtius momenti rem, ut eò pervenire humana mens numquam poterit.

Tandem, quod ſpectat demonſtrationes D. Carteſii de exſiſtentiâ Dei, regulis motûs, & nonnullas alias opiniones, quas ille Philoſophus omnium maximè amare videbatur, quæque majoris diſquitionis egerent, Ariſtoteles ipſi proponebat, ut neutrum locum eligeret, ubi, præſentibus neutri addictis Arbitris parti, quorum ſtarent judicio, invicem agerent.

Finiebat offerendo ipſi partem imperii Philoſophici, iis ſolis ſub conditionibus, in hoc ſcripto quæ comprehenduntur. Auctor ipſi erat, ut hic ſuam terminaret ambitionem, fidem faciens, fore ut omnes ipſius ſpes eluderen-

derentur, quòd ſi eas ulteriùs proveheret: auctoritatem ſuam nimis ſtabilitam eſſe per totam Europam, quàm ut ſibi metueret ab novo quodam homine: omnes Univerſitates, omnia Collegia renovâſſe ſibi ſacramentum fidelitatis, ac offenſivum & defenſivum fidelitatis fœdus feriiſſe contra novam Philoſophiam: nonnullas Matronas, & e quotidianis ingeniis aliquos, qui ſtatim ab initio videbantur protectores ſe gerere novæ iſtius factionis in Galliâ, non eſſe dignos, quorum magna habeatur ratio: morem illum Philoſopha ut aliqua ſit, non diutiùs duraturum apud Matronas Gallas, quàm alii mores: videri jam hodie exiguas admodum, quæ iſtum honorem ambirent: ac vulgò ferri etiam, poſtquam prodierit Comœdia quædam alicujus Molerii, nomen mulieris eruditæ injuriæ quandam ſpeciem adſciviſſe. Quòd ſi plures Docti, & plurimi Mathematici olim novas illas ideas amplexi fuerint, ſatis paucos hodie reſtare, qui honori ſibi ducerent nomen Carteſianorum. Cùm hi e veſtigio ſigna deſeruerint, ut ſe partibus Gaſſendiſtarum adjungerent; illi ſyſtemata compoſuerint ex iis quæ crediderunt apud antiquos ſe reperire optima, & apud novos Philoſophos; omneſque originales conentur videri, & proprias ſuas tantùm ſequi cogitationes, non ulli Sectæ, nec antiquæ, nec hodiernæ duci ſe mancipando. Effectum ſane pernicioſius, quàm quis cogitet, mali exempli, quod exhibitum fuit novo illo Schiſmate, quo diviſa fuit Philoſophia.

Vixdum noſtrum perlegeramus ſcriptum

noſtrum

noſtrum, cùm duæ noſtræ Peripateticæ animæ in Merſennum redierunt, nobiſque narrârunt, ab Occidente conſpici, neſcio quod opacum quaſi corpus, aërem trajiciens ſummâ cum celeritate. Statim ſenex noſter, quovis pignore contendo eſſe ſtellam quandam cruſtâ obductam, quæ de Vortice in Vorticem prolabitur, poſtea ſuum quàm perdidit, quæque facta eſt Cometa. Eveſtigio nos eximus, & Carteſiana illa noſtri hominis prophetia valde nos delectabat, cùm elapſis aliquot momentis videremus, nihil aliud eſſe niſi hominem, qui vehebatur nube ſummè nigrâ & craſsâ, cujuſque omnis adparatus referebat Magum ad Sagarum conventum ſe conferentem, vel inde reducem. Ac profectò P. Merſennus, qui illum noverat, nobis dixit, eſſe Mandarinum Chinenſem, ducem Magorum ſuæ regionis, ſæpiùs ſe jam illi obviam factum in noſtro Vortice, ac jam elapſum eſſe annum, ex quo cum illo de exſiſtentiâ Dei egerat; ſe illam ipſi probâſſe demonſtrationibus D. Carteſii; quantumvis profligatus Atheus ipſi viſus eſſet initio, has demonſtrationes ipſum moviſſe, & ſibi pollicitum, fore ut eas otium nactus examinaret. Rogavit itaque nos, ut ipſi obviam iremus, atque ita diſceremus ſucceſſum colloquii ſui, atque num converſus eſſet Mandarinus. Progrediebamur itaque, at viſibilem ſe ſolus reddebat P. Merſennus. Salutant illi ſe invicem, & poſt nonnullas utrimque dictas blanditias, rogat P. Merſennus Mandarinum, an adhuc de exſiſtentiâ Dei dubitaret: reſpondet ille, planè ſe convictum de eâ eſſe ac valde ipſi obnoxium,

noxium, quòd anſam ſibi dediſſet examinandi rem aliquam, de quâ non niſi cum pudore meminiſſe poterat ſe dubitâſſe tantummodo, defectu nonnullarum reflexionum, quas vel minimè illuſtrata ratio ſuggerere potis eſt. Deo ſit laus, P. Merſennus exclamat. Quo gaudio perfundetur Carteſius, ubi ex nobis audierit, ſuam Philoſophiam cognitionem Dei ad extremitates uſque Terrarum propagâſſe. Certè neutiquam ſine ratione mihi *Tom. 2. Ep. 37.* aliquando ſcripſit, admodum ſe hærere ambiguum, an ſua opera Philoſophica vulgaret, verùm ſe conſcientiæ ergo ſentire obſtrictum eſſe publicum non privare quinque vel ſex foliis, quæ continent Demonſtrationes exſiſtentiæ Dei.

Mi Pater, reſpondit Mandarinus, non tibi auctor fuero Carteſio indicandi ſucceſſum, quem ipſius Demonſtrationes in Chinâ habuere: pro meris paralogiſmis ibi habitæ ſunt, ſaltem duæ illæ, quas plurimi facit, quæque deductæ ſunt ex ideâ Dei, & Entis ſummè perfecti; atque illud, quo me tibi devinxiſti, officium in eo non poſitum, quòd mecum iſtas communicâſti Demonſtrationes, verùm quòd, cùm eas mecum communicâſti, ut illas examinarem, ſubierit mentem meam, poſt cognitam earum debilitatem, reliquas etiam diſcutere, quas iſte Philoſophus non videtur aſſis facere comparatas cum ſuis, quæ tamen mihi perſuaſerunt. Doctor quiſpiam Europeus nomine Thomas Aquinas, cujus Summam Jeſuïtæ in Chinenſium linguam converterunt, quem hâc occaſione conſului, atque explicatio, quam mihi dedit Mandari-

nus

nus Verbi eſt, qui etiam ex Europâ in Chinam venit pluribus retrò annis, centies magis meam mentem adfecerunt dederunt, quàm omnia deliramenta Carteſiana, quæ mihi inania maximè ſunt viſa.

Hoc reſponſum fulminis in morem P. Merſennum percuſſit, rogantem ferociter Mandarinum quod vitii reperiret in demonſtrationibus Carteſii: ille verò ſtatim ſe iis refutandis adcinxit. Ita ut nos frueremur obleƈtatione videndi horæ momento mutatos illos honeſtos ſermones, illaſque blanditias in veram diſputationem.

Ut tibi oſtendam, inquit Mandarinus, non ſine cognitione cauſſæ me tuas demonſtrationes pro paralogiſmis habere, ſcias, poſtquam ex te eas addidiciſſem, me reperiſſe in Chinâ in manibus juvenis cujuſdam Belgæ, qui cum Mercatoribus ſuæ regionis iter faciebat, Meditationes tui Carteſiii. Ille, cùm videret me non omnino ignarum eſſe eorum, quæ in iis continentur, ac velle eas propiùs noviſſe, iis me donabat, atque ego de novo illas legi demonſtrationes, omnes objeƈtiones illi ſuper iſtâ re propoſitas, atque omnes reſponſiones, quas ipſe ad illas dedit. Prima animadverſio, quam in genere ſuper iis quæ legeram feci, fuit, quòd illæ demonſtrationes, & reſponſiones illæ, quæ proponebantur ad objeƈtiones contrarias, mihi ſaltem relinquerent multum dubitationis & incertitudinis in mente, ſuper illâ re, quæ erat in quæſtione; ac, licèt ſtatim non viderem illarum vitia, ſentire tamen mihi videbar. Deinde eas obtuli duobus ex meis amicis Tribunalis

bunalis Mathematicorum, quod componitur ex induſtriis hominibus adſuetis methodo Geometricæ, præſertim poſtquam Mathematici Europei in Chinam adpulerunt. Poſtquam illas perlegerant, eorum alter mihi dixit, quòd ſi iſtæ demonſtrationes veræ eſſent demonſtrationes admiratione eſſe dignas; quandoquidem eſſent ſimpliciſſimæ; alter adjungebat illam ipſam ſimplicitatem eas ipſi ſuſpectas reddere, quia, inquiebat ille, quò ſimpliciores ſunt, eò magis debent producere effectum vulgare demonſtrationum in mente ipſorum, cui illæ proponuntur. Jam verò illud effectum non ſentio, mens mea ſe rapi non ſentit earum evidentiâ: contrà verò, ſentit neſcio quos ſcrupulos, qui, ne ſe det, impediunt, ipſamque compellunt ad credendum, iſthæc ratiocinia eſſe falſa. Atque animadverto, addidit, omnes amicos & adverſarios illius Philoſophi, qui ſuas cogitationes de ejus demonſtrationibus ad ipſum perſcripſerunt, eandem reflexionem feciſſe, & idem expertos, quod ego. Igitur noſmet adcinximus iis ſeriò examinandis, atque initium ſumſimus ab eâ, quam Carteſius proponit primam in Synopſi Geometricâ ſuarum Meditationum.

Attributum illud, quod diſtinctè videmus contineri in ideâ alicujus rei, cum veritate de illâ re poteſt adfirmari. Jam verò in ideâ Dei, hoc eſt in ideâ Entis ſummè perfecti, diſtinctè video, exſiſtentiam neceſſariam contineri; cùm eſſentia neceſſaria ſit perfectio, atque Ens ſummè perfectum omne perfectionum genus comprehendat. Igitur poſſum adfirma-

adfirmare exſiſtentiam Entis ſummè perfecti, & cum veritate dicere, atque confidentiâ, Deum exſiſtere.

Relegentibus nobis hanc demonſtrationem, & examinantibus unamquamque harum propoſitionum, qualicumque veritatis eſſent ſpecie præditæ, omnes noſtræ difficultates renaſci occipiebant. Operam navabamus indagandis ejus rei cauſſis: noſmetipſos examinabamus ex conſilio Auctoris Demonſtrationis; atque conſulebamus noſtram conſcientiam, ut videremus, an non aliqua nobis eſſent præjudicia, quæ impedimento eſſent, ne nos daremus propoſitionibus, quæ evidentiæ quid habere videbantur: nihil reperiebamus eorum, utpote qui fueramus hactenus ſatìs indifferentes circa veritatem concluſionis; atque etiam, poſito, æquilibrium non debere eſſe perfectum, profectò proniores eramus in eam partem, quæ concluderet pro exſiſtentiâ Dei, quàm in aliam. Ita ut præjudicium quod faveret huic exſiſtentiæ nobis eſſet timendum potiùs, quàm contrarium. Præterea, teſtes nobis ipſis eramus, Carteſii famam nihil nos movere, & perfectè immunes nos eſſe ab invidiâ, cujus ſuſpectos habere videtur nonnullos ſuæ regionis homines, qui contra ipſius demonſtrationes apertè inſurrexerant. Hæc fecerunt, ut crederemus ſcrupulos noſtros oriri ab ipſâ demonſtratione, quæ per conſequens adparenti tantùm evidentiâ eſſet prædita; cùm evidentia realis & vera alicujus demonſtrationis, vel alicujus propoſitionis, pro neceſſario effecto requirit quietem & tranquillitatem mentis, quæ ſe elucidatam

cidatam adeò vividâ ratione ſentiat, ut ipſi ſit impoſſibile de eâ dubitare, nec agnoſcere veritatem. Quocirca nullâ ratione habitâ eorum, quos Carteſius Scepticos adpellat, impoſſibile nobis eſt aliquem habere ſcrupulum ſuper primis Principiis, ullo modo dubitare, num totum majus ſit ſuâ parte; atque num impoſſibile ſit idem ſimul eſſe & non eſſe. Animum itaque nobis advertentibus ad hoc ratiocinium videbatur, illud debere nobis evidens adparere, atque eodem tempore experiebamur e ſenſu noſtræ mentis, reverâ non eſſe evidens. Omnis difficultas erat pôſita in inveniendo principio falſi iſtius ſplendoris, ac oſtendendo, menti noſtræ caliginem obfundi, cùm deberet illuſtrari: credebamus habere nos, quo mentem noſtram aperiremus, noſque explicaremus ſuper iſtis ſequentium animadverſionum auxilio. Axioma illud quod primam conſtituit propoſitionem ratiocinationis Carteſii, verum non eſt, niſi ſuppoſitis duabus rebus. Primâ, quòd idea, de quâ agitur, ſit idea quædam realis: hoc eſt, quæ refert objectum reale, ſaltem poſſibile. Secundâ, mentem quæ iſtam ſibi ideam format, evidenter cognoſcere, illam realem eſſe. Ita, quia idea alicujus trianguli rectilinei eſt realis, atque Geometra quiſpiam eam pro tali agnoſcit, diſtinctè videns æqualitatem trium angulorum cum duobus rectis, in illâ ideâ poteſt adfirmare cum veritate de triangulo, habere illud tres ſuos angulos æquales duobus rectis.

Verùm ſi idea non ſit realis, aut ſi mihi evidens non ſit, illam realem eſſe, falſum eſt,

me

me de illâ poſſe adfirmare Attributum reale, quod in eâ diſtinctè video. Exempli gratiâ, illa idea chimærica, *Mons ſine valle*, in quantum mihi montem exhibet, etiam diſtinctè exhibet altitudinem: non poſſum tamen cum veritate adfirmare & abſolutè, montem ſine valle eſſe altum.

Quòd ſi idea realis ſit, verùm non ſit evidens, verum eſt, Attributum illud, quod in eâ diſtinctè video, convenire rei, quam exhibet: falſum autem eſt, me poſſe attribuere illam proprietatem rei de quâ agitur, mihique demonſtrare poſſe illam proprietatem ope iſtius ideæ. Exempli gratiâ, ponamus hanc ideam realem eſſe, *Equus cognoſcens & ſenſu præditus*: Carteſius qui illam realem non credit, inde non poſſet concludere, equum capacem eſſe doloris & voluptatis: licèt illa proprietas ſit diſtinctè contenta in ideâ Entis cognoſcentis, & ſenſu præditi.

Hiſce ſuppoſitis, ut mihi poſſim demonſtrare exſiſtentiam Dei ex ſolâ illâ ideâ (*Ens ſummè perfectum*) opus eſt non tantùm, ut ſit idea quædam realis, ſicut reverâ eſt, verùm etiam neceſſum eſt, ut independenter ab omnibus demonſtrationibus vulgaribus evidens mihi ſit illam ideam eſſe ideam realem: hoc eſt, mihi exhibere objectum reale, ſaltem poſſibile, non verò objectum quoddam chimæricum. Jam verò contra Carteſium defendo, illam ideam non eſſe nobis evidenter realem ante vulgares demonſtrationes: etenim ſi nobis evidenter realis ſit, vel per ſe ipſam eſt, vel per examen, quod inſtituo idearum, ex quibus illa componitur. Non eſt per ſe: quip-

quippe, ſi illa idea nobis evidens eſſet per ſe, mens noſtra numquam de eâ problema facere poſſet, nec ſeriò ſemetipſam rogare ante demonſtrationem; Ens illud ſummè perfectum, eſtne Ens reale, vel Ens chimæricum? Pari ratione ac mens numquam ſibi propoſitura eſt illud problema: totum ſuâne parte majus eſt? Res quædam poteſtne ſimul eſſe & non eſſe? Quia illæ ideæ ipſi evidenter reales ſunt per ſe ipſas. Jam mens noſtra ante demonſtrationes poteſt ſemet ipſam rogare, an Ens quoddam ſummè perfectum ſit Ens reale vel chimæriricum? Atque homo quiſpiam, qui animum non adverterit ad res quæ exſiſtentiam Dei probant, non miraretur, te ipſi hanc quæſtionem ſeriò exhibere; veluti miraretur, ſi ipſum rogares dubitans quaſi, an totum majus ſit unâ ex ſuis partibus. Illa idea igitur non eſt nobis evidenter realis ex ſe ipsâ. Reſtat igitur, ut ejus realitas nobis evidens fiat examine ejus, quod facturi ſumus. Hæc res ſi ita ſe haberet, Carteſius deberet nos monere, ut illâ uteremur cautione, antequam ejus demonſtrationem examinaremus. Sed ego oſtendo, ante demonſtrationes, realitatem iſtius ideæ, nobis evidentem per ſe eſſe non poſſe, nec per diſcuſſionem terminorum, quos illa continet. Primò, quia attributum non continetur in ideâ ſubjecti; cùm non ſit de eſſentiâ Entis, eſſe ſummè perfectum. Secundò, quia illud examen facit, ut reperiam in illâ ideâ plurimas contradictiones adparentes, quibus ſe extricare mens mea nequit ante vulgares demonſtrationes. Etenim examinare, & extricare illam ideam, quæ per ſe ipſam

ipſam valdè confuſa eſt, & generalis, perinde eſt ac in ſpecie ſibi exhibere omnes perfectiones, quarum nulla nequit deeſſe Enti ſummè perfecto. Jam, inter illas perfectiones dantur nonnullæ quæ mentem noſtram ad rebellionem adigunt, quia non poteſt eò pervenire, ut illas concipiat. Exempli gratiâ, illud Ens a ſe ipſo eſſe, illud Ens eſſe omnipotens & omnino independens in agendo, ita ut e nihilo Entia producere poſſit. Dantur & aliæ, quæ non videntur poſſe inter ſe convenire in eodem ſubjecto. Verbi gratiâ, concipit libertatem & immutabilitatem, immenſitatem & indiviſibilitatem, proprietates corporum & ſpirituum, veluti tot perfectiones. Videt, illas perfectiones quæ poſſunt convenire diverſis Entibus ſeparatim, omnes debere reuniri in iſto Ente ſummè perfecto. Concipiens igitur Ens ſummè perfectum, ſibi exhibet Ens aliquod liberum, ac ſimul immutabile, quod poteſt velle, vel non velle eandem rem, cùm voluntas ejus ſemper eadem maneat; quod ubique præſens ſit, licèt non ſit extenſum vel diviſibile, quod merus ſit ſpiritus, & tamen contineat perfectiones corporis, quod producere poteſt.

Imò, auſim adfirmare, illam ideam ita explicitam, mentem quod attinet, quæ hactenus nullam reflexionem fecit in rationes, quæ ipſi probant exſiſtentiam Entis neceſſarii, cùm tot ipſi contradictiones exhibeat in illo Ente neceſſario, æquè tum ipſi illud exhibere tamquam Ens Chimæricum, quàm Ens reale; & non ſuppoſitis iſtis vulgaribus rationibus, quæ nobis probant cauſſam quandam pri-

mam omnium Entium, atque eas inſequentibus reflexionibus, æquè fore ut exiſtimaremus illud Ens impoſſibile ac poſſibile. Unde ſaltem concludo, ideam Entis ſummè perfecti, non poſſe exiſtimari ideam, quæ certò realis ſit, ab illo qui eam examinat, antequam cognoſcat vulgares demonſtrationes. Proinde qui illam examinat, non poſſe abſolutè tribuere exſiſtentiam illi Enti, & quod perinde eſt, non poſſe illum ſibi demonſtrare exſiſtentiam Dei, ope ideæ Entis ſummè perfecti.

Vitium itaque paralogiſmi Carteſii in eo conſiſtit, quòd ſupponat, ante demonſtrationes ideam Entis ſummè perfecti a mente exiſtimari realem, ac veluti reali præditam objecto, quod evidenter falſum eſt.

Hæc omnia fontem aperiunt ſcrupulorum, quos habuerunt omnes circa illam demonſtrationem, quoſque habuerunt illi ipſi, quos difficultas ſolvendi ſubtilem adeò paralogiſmum pertraxit in partes Carteſii, qui ſine dubio, modò vel tantillâ utantur ſinceritate, fatebuntur ſe ſemper ſenſiſſe aliquam mentis inquietudinem iſto ſuper articulo; ac non niſi vim quandam ſibi faciendo tandem intellectum ſuum adſuefeciſſe ut diceret, illam demonſtrationem ipſi evidentem eſſe. Eſt hic etiam ille defectus, quem nonnulli ſenſerunt potiùs, quàm viderunt, qui fecit, ut negarent, exſiſtentiam includi ideæ Entis ſummè perfecti. Quippe, licèt propriè loquendo ea comprehendatur in numero perfectionum, quas iſtud Ens habere debet, tamen mens, cui illa idea non erat evidenter realis, in eo illam

lam non comprehendebat; imò ex eo excludebat, ſimulac hoc ſibi problema formabat. *Ens ſummè perfectum exſiſtitne?* Eò uſque, donec argumenta independentia ab hac ideâ reſolviſſent hoc problema, ipſique perſuaſiſſent, tale quodpiam Ens exſiſtere.

Nec dicat nobis Carteſius, illam ideam, cùm non includat niſi perfectiones, evidens eſſe, nihil includere, niſi reale: quippe idea quædam chimærica non poteſt componi, niſi ex ideis realibus; atque en tibi aliquam omnino ſimilem illi, de quâ agitur. (Triangulum, quod habet omnes perfectiones triangulorum.) Hæc idea licèt nullas alias res includat, quàm reales perfectiones, eſt tamen idea chimærica, quia, exempli gratiâ, triangulum rectangulum proprietates habet oppoſitas illis trianguli æquilateri, atque illa oppoſitio facit, ut hæ cum illis non conveniant. Ita, licèt omnes perfectiones Entium ſint reales, non ſequitur illam ideam (Ens quod habet Entium perfectionem omnium) eſſe ideam realem; atque illa oppoſitio, quam comperio inter nonnullas illarum perfectionum, mentem meam naturaliter adigit, niſi præoccupata ſit demonſtrationibus vulgaribus, ad dubitandum ſaltem, an iſta idea non ſit chimærica, veluti altera illa, de quâ modò locutus ſum. Unde fit, ut poſt demonſtrationes, quæ mihi perſuadent de exſiſtentiâ iſtius Entis, verùm quæ non faciunt, ut clarè & diſtinctè cognoſcam ejus eſſentiám, id tantùm auſim dicere, illud Ens debere continere perfectiones aliorum Entium eminenter;

hoc eſt, ratione quâdam, quam non capio, quæque numquam mihi in mentem veniſſet, vel ſaltem quam numquam certò & evidenter poſſibilem exiſtimâſſem, niſi perſuaſus forem de exſiſtentiâ primi Entis, antequam ejus examinâſſem eſſentiam.

Hæc ſolutio primi paralogiſmi Carteſii inſerviet oſtendendo claiè defectui alterius illius, quo concludit exſiſtentiam Dei ex *realitate objectivâ Ideæ*, (ita enim loquitur) *quam habemus Dei* Hæc idea, dicit ille, quam in mente meâ reperio, gaudet realitate quâdam objectivâ infinitâ, quandoquidem exhibet Ens infinitum: ergo Ens infinitum exſiſtit: alioquin enim effectum haberet perfectiones, quas non haberet ejus cauſſa.

Qui hoc ratiocinium impugnârunt, de illo loquuntur eâ ratione, quæ indicet, ipſos illud habuiſſe pro majori paralogiſmo, quàm præcedens; atque plurimas bonas rationes adferunt, quas Carteſius quàm poteſt optimè refellit. Me quod attinet, en quid ſentiam: ſcilicet Carteſium ſupponere hoc in ratiocinio, quod ipſi probandum erat. Etenim ſupponit non tantùm, illam ideam habere quandam realitatem objectivam, verùm etiam, me poſſe cognoſcere independenter a demonſtrationibus vulgaribus, illam habere realitatem quandam objectivam, hoc eſt, illam habere objectum reale, non verò chimæricum. Jam verò, non ſcio an ejus objectum ſit reale an chimæricum ante demonſtrationes, ſicuti id jam probavi. Quod ſi poſſum ambigere, an illud objectum ſit chimæricum, non poſſum ſupponere, illam ideam habere

quan-

quandam *realitatem objectivam*, verùm timere cogor, ne illa habeat quandam *vanitatem objectivam*, ſi ita loqui licet; atque eo in caſu, non poſſum concludere, Deum menti meæ illam indidiſſe; & deinde, Deum aliquem dari; verùm cogitare debeo, forſitan ex nihilo me ipſam duxiſſe, uti loqui amat Carteſius; hoc eſt ex imperfectione mentis, quæ illam produxit, ſicuti hanc producere poſſet. Mons infinitus ſine valle. Exinde manifeſtum eſt, duas illas, prout exiſtimantur, demonſtrationes meros eſſe paralogiſmos, & utramque eodem loco laborare eodemque vitio.

Porrò, numquam demonſtraturus eſt Carteſius veritatem illius propoſitionis, cui totum ſuum innititur ratiocinium; ſcilicet, cauſſam ideæ debere continere formaliter, vel eminenter omnes perfectiones, quas idea exhibet. Etenim ubi dicimus, cauſſam continere omnes perfectiones effecti, hoc non intelligitur, nec evidenter verum eſt, niſi de perfectionibus, quas effectum poſſidet, non verò de iis, quas ſolummodo exhibet. Perfectiones enim, quas idea exhibet, non ſunt perfectiones ideæ, cùm unica ideæ perfectio ſit exhibere omnes illas perfectiones. Illique qualitati nihil infiniti ſubeſt, nec per conſequens ſupponit ullam infinitam cauſſam.

Dico illam qualitatem nihil infiniti continere; quandoquidem perfectionem alicujus ideæ non metimur nobilitate objecti quod illa exhibet, verùm modo, quo illud exhibet; qui cùm in propoſitâ ideâ valde ſit imperfectus, nequit infinitus eſſe. Atque hoc ſolum

verbum, quod addo omnibus iis, quæ dicta fuerant eâ de re ab adverſariis Carteſii, par eſt oſtendendo, propoſitionem, cui totum ejus innititur ratiocinium, non poſſe eſſe principium alicujus demonſtrationis.

Tandem, pergit Chinenſis, licèt ratiocinationes hujus Philoſophi falſæ non forent, & ſophiſticæ, vix mererentur nomen demonſtrationum in re, de quâ agitur. Numquam erit, ut ſint demonſtrationes exſiſtentiæ Dei, quin pro ejuſmodi agnoſcantur; hoc eſt, quin agnoſcantur pro ratiociniis perſuaſivis, ad quæ nil reſponderi poſſit, quorumque veritas ſe conſpiciendam præbeat adeò, ut deſtruat omnia contraria præjudicia. Jam hebetiores mentes nequeunt ad ſubtilem iſtam Metaphyſicam pertingere. Mediocria ingenia hærere ſe in iis comperiunt, ſive ob præjudicia ſua, ſive ob exiguam in illa penetrandi capacitatem. Plurimi majorum gentium Philoſophi in iis reperiunt, vel perſuadent ſibi reperire ſe magnas difficultates. Hæc omnia generale præjudicium efficiunt reſpectu illorum, qui ea non viderunt, quod ſatis prudenter eos faceret concludere, quòd ſi nullæ aliæ demonſtrationes exſiſtentiæ Dei darentur, præter has, nullas omninò exſtare. Ita ut libenter veſtro Philoſopho auctor eſſem, ejuſque diſcipulis, ne ſaltem præferrent ſuas demonſtrationes iis, quæ vulgò adhibentur. Quippe, ſi verum foret, alias illas evidentiâ carere, comparatas cum his, ex eo principio deducerentur peſſimæ conſequentiæ contra exſiſtentiam primi Entis, quas in ſuum uſum convertere non cunctaren-

rentur libertini, ſaltem ſi quid rectè judico ex illis noſtri Chinenſis imperii.

Sive ſpiritus ille, qui nubem regebat, cui Mandarinus inſidebat, quique erat ex nigerimis inferni Diabolis, non oblectaretur iſtiuſmodi ſermonibus, ex quibus poſſent concludi nonnulla ingens Sagarum conventui damnum concinnantia, ſive Mandarinus ipſe feſtinaret, vel deſperaret aliquid novi iſto ſuper negotio addiſcere, vixdum ultima hæc verba protulerat, cum ipſum vidimus e veſtigio versùs Orientem abreptum incredibili quàdam cum velocitate.

P. Merſennus præ impatientiâ ipſi reſpondendi ardens, non potuit ſibi temperare, ne ipſum ſequeretur, ac proinde per triginta & ampliùs gradus comitatus eſt. Poſt horæ quadrantem ad nos rediit, dicens paulò commotus; mirum hoc eſt, adverſarios Carteſii ita nobis illuſum venire, & proditorum more ictus infligere, ut ſtatim aufugiant, ne tempus quidem nobis concedentes ad defenſioni nos adcingendos, & refellendas ineptias, quas nobis obtrudunt eâ cum ſuperbiâ, quaſi oracula forent. Quod ſi iſte Mandarinus de veritate ſui adferti ſibi eſſet perſuaſus æquè ac Ariſtoteles, illique crederent ſua argumenta contra Carteſium adeò valida, ac fingunt ſe credere, non vererentur manus conſerere, & ad minimum reſponſum opperirentur, quod haberemus ipſis opponendum: verùm ſunt hæ procurſiones iſtiuſmodi audaculorum, qui ſuum ſclopetum in aërem explodunt ut Thraſones videantur, quique non auderent cominus cum hoſtibus congredi,

quos ſimulant ſe impetere. Verùm, dum Mandarinum noſtrum comitatus ſum, ſatis ipſius ideas everti. Promiſit mihi, poſt elapſum abhinc annum eodem hoc die adfuturum ſe in Merſenno, ibique nos e commodo acturos de demonſtrationibus Carteſii.

Illuc vos invito; Domini mei, aït; & niſi hominem meum ita excipiam, ut mutire non audeat, e veſtigio Peripateticus fiam, & Carteſianiſmo vale ſum dicturus. Pollicemur nos ibi adfuturos. Verùm, mi Pater, ipſi dico, diu jam eſt, quod iter fecimus, nec adhuc multùm profecimus; oro te, feſtinemus: quippe metuo corpori meo, nec velim manere ſine me ultra viginti quatuor horas. Simul in terram oculos conjecit, ut videret quota eſſet hora, & mihi dixit, ſeptem tantùm horæ præterierunt, ex quo e Galliâ profecti ſumus, modò ſi non cunctemur in itinere, ád ſummum poſt quinque horas in Mundo D. Carteſii erimus.

Merſennum igitur reliquimus, & digreſſi ſumus e Lunâ latere Septententrionali iſtius Globi: ad Cœlum Stellarum progreſſi fuimus omni cum celeritate, quâ poteramus: hoc eſt, uno minuto plurima confecimus milliarium millia. Res eſt prodigioſa, & quæ vix ſub conceptum cadat, numerus ille Stellarum. Non deteguntur e terrâ, vel ope optimorum Teleſcopiorum, niſi admodum exiguæ comparatione inſtitutâ cum iis, quas non videmus. Tranſmeabamus Signum Sagittarii, cujus præcipuas ſtellas cum delectatione recenſebam, illas quæ vulgò exhibentur in Globis cœleſtibus. Signum illud Sagittario

vel

vel Jaculatori ita ſimile fere, ac ego domui alicui, cujus quis imaginetur binos oculos meos feneſtras eſſe, gemina mea brachia, tabernacula ab utroque latere corporis domûs exhibiti a reliquo meo corpore.

Quòd ſi me oblectare vellem, ut Ovidius in deſcriptione Viæ Phaëtontis, occaſio mihi daretur formandi mille pulchras adluſiones Aſtronomicas, & in itinere meo reperirem plurimos novos Zodiacos, ubi magnus numerus animalium in fabulis inclytorum, quæ in terrâ relicta ſunt, poſſent locum habere, & reſarcire damnum iis illatum ab moroſitate Poëtarum & Aſtronomorum, qui illis alia prætulerunt, non pluris quàm hæc æſtimanda: verùm Lectori hæc omnia imaginatu facilia ſunt. Nec adjungam plura de colloquiis, quæ in reliquo itinere habuimus, ubi auditor fere duntaxat eram. Duo illi Peripatetici ferè perpetuò diſputabant cum P. Merſenno & ſeſe, circa varias novæ Philoſophiæ quæſtiones. Verùm nihil dixerunt præter ea, quæ cernere eſt apud Patrem le Grange, ac in aliis libris impreſſis ſuper iſtiuſmodi materiâ. Fruebar ego gaudio videndi illum ardorem, quocum utrique ſuas defendebant partes, meque in eas pertrahere conabantur: verùm contentus eram utroſque laudando, nec mentem meam admodum aperiendo; ac ſolummodo obibam illud munus arbitri, quod mihi communi conſenſu offerre videbantur, ut moderarer nimium illum calorem, & zelum Sectæ, qui eos aliquando paulò ultra, quàm par erat, abripuerat. Interea animadverti, P. Merſennum ducem noſtrum, nos

perpetim a rectâ viâ abducere, ut in avia nos deduceret, & id operam dare ut nos a corpore ſtellarum remotos redderet, hoc eſt, ut Carteſianè loquar, a centro Vorticum. Rogo itaque ipſum, cur hoc faceret, aït ille non ex minimis curioſitatibus meis fore, ſi aſtrum aliquod e propinquo contemplarer, ac conſiderarem motum materiæ ſubtilis in centro Vorticis; idque eſſe promtiſſimam rationem me convincendi, dari Vortices tales, quales eos deſcribit D. Carteſius. Reſpondit mihi, e re potiùs fore, ut ſatis facerem curioſitati meæ, ubi redirem poſtquam D. Carteſius mihi explicuiſſet ipſe diverſas determinationes, quas materia ſubtilis poteſt habere in aliquo Vortice; dehinc meliùs me capere poſſe ipſius mentem, & ante hæc novam mihi fore materiam confuſionis & vitilitigationis Dominis illis Peripateticis. Debui iis eſſe contentus, & ex eo ſatis mala opinio mihi conciliata eſt de Vorticibus, quorum nullam ſpeciem videbam in motibus materiæ a centro Stellarum remotæ Verùm tandem pervenimus ad tertium Cœlum noſtri itineris terminum. Quæ eò loci geſta quo ego ibi commoratus tempore, materiam conſtituent tertiæ hujus Narrationis partis.

ITER PER MUNDUM CARTESII.

PARS TERTIA.

Tertium Cœlum vel Mundus Carteſii nihil aliud eſt præter id, quod ante ipſum qui fuere Philoſophi nuncupârunt Spatia Imaginaria: verùm quia nomen illud imaginarium, videbatur tantummodo chimæricum quidpiam deſignare, quodque in merâ tantùm imaginatione conſiſteret, potiùs duxit ea adpellare Spatia indefinita. Non tamen defuerunt, qui nonnullas ipſi difficultates objicerent circa illud vocabulum *Indefinitum*, quod plurimis in locis videtur ſubſtituere in locum infiniti, abſque ullâ neceſſitate. Tandem verò Diſcipuli ipſius auctoritatem iſti voci conciliârunt, & ut homines illi adſueſcerent, effecerunt. Statim cùm ingrederer vaſtas has regiones, reverâ illic offendebam locum optimum & commodiſſimum, quem ſibi quis imaginari queat, ad condendum Mundum, imò ad condendas Mundorum myriadas, & myriadum myriadas: verùm

non conſpiciebam materiem ad auſpicandum, vel ad faciendum vel minimam partem ingentis ejuſmodi ædificii.

Poſtquam quinque vel ſex confeceramus milliaria non invenientes D. Carteſium ſtatuimus ab invicem diſcedere, ut eum faciliùs inveniremus. Ab unâ parte tendebat P. Merſennus, ab alterâ verò ſenex meus & ego cum duabus iſtis animabus Peripateticis. Tandem P. Merſennus ipſum reperit; ac poſt exiguum temporis ſpatium, quàm disjuncti fuiſſemus, ambos versùs nos ire conſpeximus. Prout ab eo honeſtâ & humanâ ratione recipiebar, cognovi, P. Merſennum ipſi de me exhibuiſſe amicum teſtimonium, atque de me locutum, tamquam de eo, qui aliquando addictiſſimis ejus Sectatoribus eſſem adnumerandus. Etiam honeſtiſſimè duos Peripateticos ſalutavit, interea tamen iis ſignificans, fortean inutile futurum negotium, quod ſuſceperant, ut illic cum eo agendi ergo venirent. P. Merſennum jam ipſum ſatis edocuiſſe propoſitiones, quas ipſi exhibendas haberent, quibus profectò non ſine incommodo poſſet adnuere; ſandi tamen iis copiam ſe facturum non ſine prolixo favore, ac ante omnia illis fidem facere, nihil monſtri ſe alere in Regnum Ariſtotelis. Deinde, poſtquam P. Merſenno præcepiſſet cum duobus illis Dominis ſermones ſerere, in ſecretum abduxit ſenem cum me.

Colloquium incepit a magnis teſtificationibus amicitiæ, quas invicem exhibebant D. Carteſius & ſenex meus, teſtando mutuum gaudium, quo fruebanturſe invicem de-

nið

niò videndi. E veſtigio ſenex me elogio proſequi: mille officiis apud D. Carteſium commendare: præprimis ipſi jactare meum ſincerum veritatis amorem, deſiderium diſcendi, quod ſemper præ me tuleram, & docilitatem, quam ipſi promiſeram erga præcepta, quæ quæſitum tam longè profectus eram. Quàm poteram humaniſſimè ego reliquas laudes arcere, quæ in me congerebantur: verùm id adjungere, amorem veritatis quod ſpectaret, & deſiderium diſcendi, honori illa me ducere, velut maximum meum meritum: docilitatem quod attineret, quam erga præcepta D. Carteſii eram pollicitus, non id mihi laudi vertendum: præceptorem iſtius notæ & genii adeò rari, & omnibus aliis ſuperioris, veluti erat ipſe, jus habere exigendi & exſpectandi iſtud obſequium ab omnibus in mundo hominibus ſapientibus & æquis.

Nimiùm aliquantò adularis mihi, refert D. Carteſius, nec ſcio an plurimi, in mundo pro ſapientibus & æquis habiti, ſubſcribereat iſti obſequio, quod tu mihi illorum vice præſtas. Imò addubito, an ſequens regulas phyſionomiæ ſpirituum, quarum nonnihil peritus eſſe mihi vindico, magno valde in pretio hanc quæ fertur docilitatem habere debeam, quam tu tantopere jactas. Cerno adhuc, ut mihi videtur, in fundo mentis tuæ neſcio quæ præjudicia, quæ illam non admodum diſponunt ad cognitionem veritatis. Dic mihi, pergebat, cernens ingens illud ſpatium, quid exiſtimas te cernere? Domine mi, reſpondi, hæc quæſtio turbat me: verùm ut te convin-

cam, me ſincerè loqui, ubi tibi promitto docilem me fore, reſpondebo, ut exiſtimo, ad quæſtionem, quam mihi moves. Secundùm te deberem dicere, cùm illud ingens ſpatium video, me corpus aliquod videre, vel materiam: verùm, ut liberè dicam, reverâ mihi videor nihil videre.

Tum ſenex meus ipſi ſignum dedit, quod eo momento nondum capiebam, cujuſque finem niſi in ſequentibus non cognovi. Satis eſt, aït D. Carteſius, jam de aliis rebus loquamur. Enarra mihi, ſi quædam nôſti, nova de Philoſophiâ veſtri Mundi: etenim per plurimos abhinc annos ignarus fere ſum omnium eorum, quæ ibi geruntur, tam quia, ſimul ac corpus meum liqueram, reperi in me magnam vim indifferentiæ erga ſententias hominum, quàm quia hic Dominus noſter, quem ſolum nonnumquam deinde vidi, in Provinciam cùm ſe contulerit jam ab aliquot annis, non potuit ſcire particularia negotia Carteſianiſmum ſpectantia, ac ſatis habuit ediſcere & perpetuò mihi ſignificare, meam Philoſophiam quotidie & plurimos ſequaces, & plurimos adverſarios habere non deſinere.

Neque ego peritior, reſpondi, in negotiis Sectæ tuæ ſum, cùm eorum quæ illam ſpectant non inceperim rationem habere, niſi ab aliquot retro diebus, cùm honore fruor noſcendi Dominum: dicam tamen tibi quæ ſcire poſſum omnia, quæque inaudivi, licèt non multùm laboraverim ut ea ſcirem. Tua Philoſophia, ut equidem ſcis, ab initio uſa fuit commodis & incommodis novitatis, atque

que experta eſt fortunam omnium novarum Doctrinarum. Plurimi privati homines eam receperunt cum admiratione, & defenderunt cum ardore. Invenit ea patronos & protectores conſpicuos ingenio, captu, morum culturâ: verùm omnnia fere Corpora, omneſque Univerſitates illam rejecerunt & ejus adverſarios ſe profeſſi ſunt: unuſquiſque in hoc, ut in aliis omnibus, propriam ſuam ſpectabat utilitatem. Hi tuas amplectebantur partes, quoniam ibi reperirent, quo conſpicui præ aliis eſſent: illi illas damnabant, quoniam exinde, ne quid ſua imminueretur fides, metuerent. Cauſſa movens vel prætextus horum & illorum erat amor veritatis, & ſanæ Doctrinæ. Res ferè adhuc eodem in ſtatu verſatur, verùm tamen ſi judicium feramus ex libris, ſive Philoſophiæ, ſive Medicinæ, quos nanciſcimnr ex Angliâ, Hollandiâ, Germaniâ, Carteſianiſmus ingentes progreſſus egit in omnibus iſtis regionibus. Vix ampliùs imprimuntur Curſus Philoſophici juxta methodum ſcholaſticam, & omnia fere Opera id genus, quæ hodie in Galliâ prodeunt, ſunt tractatus Phyſici, quæ nova Philoſophiæ ſupponunt principia. Libri qui agunt de Univerſali, de Gradibus metaphyſicis, de Ente rationis, hodie terrorem incutiunt Bibliopolis: non ampliùs iis onerari volunt, & omni conantur ope quoſcumque habent reliquos quovis pretio vendere, ad inſtar Mercatorum qui amoliuntur iſthæc veſtitûs genera, quorum mos jam obtinere deſiit. Omnes illæ quæſtiones olim adeò celebres, quæque a ducentis fere retro annis tot prælia

fecerunt

fecerunt gemere, totque occupârunt Typographos, non ampliùs ventilantur niſi in Scholis Profeſſorum publicorum. Extra Claſſes non ampliùs ſermo de Thomiſtis, Scotiſtis, Nominalibus, vel ſaltem non ampliùs diſtinguuntur. Omnes ad eandem Categoriam referuntur, & ad eaſdem partes, quæ adpellantur vetus Philoſophia, cui opponitur Philoſophia Carteſiana, vel nova Philoſophia.

Imò aliquâ ratione eo honore fruitus es, ut deleveris quidquid adparuerit novorum Philoſophorum ſimul cum te, & poſt te; & ut utar comparatione, quæ licèt deſumta a ſubjecto valde odioſo, nihil habet tamen, quod non planè gloriæ tibi cedat. Sicuti in Hiſpaniâ Lutherani cluunt omnes cujuſcumque Sectæ Hæretici poſtremi ſeculi, ita indifferenter nomine Carteſianorum inſigniuntur omnes illi, qui poſt te adgreſſi fuerunt criſin exercere in materiâ Phyſicâ. Plures uno opponentes audivi in plenâ diſputatione D. Gaſſendum numero tuorum Diſcipulorum adſcribere, licèt tu profectò illi aliquot annos ætate minor eſſes; ac novi iſtiuſmodi Collegium, in quo Profeſſor non auderet loqui de materiâ inſenſibili, de regulis motûs, de perſpicuitate idearum, quin ſtatim Carteſianiſmi inſimularetur.

Ceterùm præterquam in aliquot Curſibus bonorum nonnullorum Religioſorum, qui ſine dubio bonâ fide agunt, verùm qui tua cùm non legerunt, interea tamen ad honorem te impugnandi adſpirant, moris haud ampliùs eſt te pro Atheo habere; nec conſequentiam

tiam formare circa Religionem tuam, ex eâ propoſitione, quam formas ineunte tuâ Metaphyſicâ, *de omnibus eſſe dubitandum.* Nonnulli nihilominus ex perſpicacioribus ſatìs adhuc ſeriò adfirmant converſiones Hugenotarum, quæ non ita diu eſt quòd in Galliâ factæ, tibi multos diſcipulos auferre. Poſtquam enim perſuaſi ſunt de præſentiâ reali ſancti Corporis J. C. in Euchariſtiâ, credunt eſſe ſe certos de falſitate nonnullorum tuorum Principiorum, quæ conciliare nequeunt cum realitate iſtius Myſterii.

Verùm, quidquid ſit, omnes illi qui ſano & æquo judicio de rebus judicant, quantumvis tuis adverſentur dogmatibus, tuum tibi tribuunt, laudemque in te congerunt, quæ mihi non parva videtur, hoc eſt, fatentur te oculos aperuiſſe Philoſophis noſtri temporis, circa defectus, qui reperiebantur in illorum philoſophandi methodo, his ſatìs magnâ cum ratione objiciendo exiguam curam, quam ut plurimum habebant, materiam, quam tractabant, penitus exhauriendi, vel in Metaphyſicis, vel in Phyſicis: exiguam adplicationem, quam adferebant formandis ſibi, & exhibendis diſcipulis ſuis ideis claris & diſtinctis rerum, de quibus diſputabant: abuſum ſubtilitatis ingenii, cùm non darent operam, niſi multiplicandis vitilitigationibus & captiunculis, niſi novis adinveniendis æquivocationibus, niſi implicandis potiùs, quam explicandis certis quibuſdam quæſtionibus abſtractis, quæ ſapienter in ſcholas introductæ fuere, ut daretur aliquod exercitium, & quædam occaſio diſputationis æmulationiſque

inge-

ingeniis puerorum, verùm quas ridiculum eſt conſtituere fundamentum eſſentiale Philoſophiæ, quæ iſtâ ratione inanis evaſerat ſcientia, compoſita ex meris terminis nihil ſignificantibus: pauculam illam attentionem, quæ adhibebatur experientiæ matri Philoſophiæ: cæcam dependentiam, quæ obtinebat, ab dogmatibus aliorum ſæpe parùm perſpectis, & malè intellectis.

Imò vel fideri facere tibi poſſum, iſtiuſmodi admonitiones, licèt ſtatim ab initio non ſive indignatione acceptas, ſuum effectum produxiſſe. Philoſophia Scholaſtica aliam faciem induit in præcipuis Collegiis Galliæ, Profeſſores induſtriores adnituntur ibi vulgares quæſtiones tractare, & intricatiſſimas cum majori ſoliditate, methodo, & adcuratione. Ut ſunt perſuaſi, iſtas quæſtiones iſthac ratione tractatas, ſervire, ultrà quàm quis cogitet, formando ingenio recenti, ſi formationis capax ſit, dirigendo, & inſenſibiliter adſuefaciendo adhibendis iſtis præciſionibus adeò neceſſariis, ne quis fallatur in negotiis majoris momenti, in ſequelâ alicujus ratiocinii, quod extenditur in ſermone quodam, in examine alicujus demonſtrationis Mathematicæ, in diſcuſſione alicujus experientiæ Phyſicæ, ac fortaſſis etiam alicujus negotii & momenti politici.

Ab illo tempore parciùs illic pro demonſtrationibus habent argumenta, quæ defendendis ſuis dogmatibus adfernnt. Non tam proni ſunt ad bellum indicendum iis, qui alio modo loquuntur, ac ſæpe eandem rem dicunt. Addidicerunt dubitare de certis quibuſdam axioma-

axiomatibus, quæ hactenus ſacrata & inviolata fuerant; atque ea examinantes aliquando repererunt, non eſſe illa tam pulchro nomine digna. Qualitates occultæ ſuſpectæ redditæ, nec tantâ ampliùs in fide verſantur. Horror vacui non ampliùs agnoſcitur niſi in ſcholis, in quibus nolunt nummos impendere emendis tubis vitreis, & nonnullis machinis, quæ evidenter monſtrant ridiculum famigeratæ iſtius ſolutionis, quæ exhibebatur curioſorum maximè & inſolitorum Phænomenῶn Naturæ. Omne genus experimenta illic inſtituuntur. Illud circa Gravitatem Aëris mille diverſis modis inſtituitur, nec jam vel tantillus Phyſicus datur, qui non ad unguem teneat Hiſtoriam Experimenti D. Paſchalii.

Hìc interrupit ſermonem meum D. Carteſius, ac rogavit quodnam eſſet illud experimentum D. Paſchalii. Reſpondi eſſe illud, quod factum anno 1648. in puteo Domnæ ope Tubi Torricelli, ubi mercurius ad ſic ſatìs minorem adſcendebat altitudinem in vertice montis, quàm in medio, & ad pedem; unde evidenti concluſione ducta fuit aëris gravitas. Hoccine adpellatur, refert D. Carteſius, Experimentum D. P. . . . . Igitur hoc exinde eſt, quoniam illud ipſe eſt exſecutus, vel potiùs exſequi curavit a D. Perero: etenim profectò non eſt, quia invenit, vel ejus ſucceſſum prævidit. Ac ſi illud experimentum nomine Auctoris ſui deberet inſigniri, majori jure potuiſſet adpellari Experimentum Carteſii. Ego enim ipſum duos annos antè rogavi; ut illud vellet facere, atque de ſucceſſu ipſi reſpondi, cùm ſcilicet planè *Ep. 77. Carteſ. Tom. III.*

cum

cum meis Principiis conveniret, alioquin non fuiſſet, ut de eâ cogitaſſet, utpote contrariæ qui erat opinionis. Famam ſi ſpectes, pergit Carteſius, ille homo eſt felix omnino. Olim plurimis hominibus pro vero adfirmatum eſt, ipſum compoſuiſſe & e proprio depromſiſſe penu librum Conicorum ætate
Tom. III. Epiſt. 38. ſexdecim annorum: miſſus ad me fuit ille liber, atque priùs dimidium quàm legeram, judicavi ipſum egregiè edoctum a D. Argeſio; quâ in ſententiâ ſtatim poſt confirmatus fui confeſſione ab ipſomet mihi exhibitâ. Quod hîc aïs, reſpondeo, paululùm me mirari facit! etenim, in præfatione tractatûs de Æquilibrio Liquorum impreſſi poſt mortem D. P..... tuum teſtimonium hâc ſuper re citatur, nec planè conſonat cum illo, quod mihi nunc exhibes: non enim ibi ſermo eſt de auxilio, quod ipſi ſuppeditaverat D. Argeſius. Dicitur ibi tantummodo, rem adeò incredibilem tibi viſam, & prodigioſam, ut illam nolueris credere. Te tibi perſuaſiſſe, D. P..... patrem verum Auctorem eſſe operis, & ejus honorem in filium voluiſſe ipſum conferre. Neſcio, reſpondet, quid cogitantem vel dicentem me exhibuerint in iſtâ Præfatione: id autem ſcio, nihil me nunc tibi dicere, quod
Tom. II. Epiſt. 38. non ſcripſerim propriis terminis ad P. Merſennum, ſimulac opus conſpexeram.

Denique, dico, mi Domine, non admodum mirarer, ſi D. P. ſine auxilio conſcripſiſſet librum Conicorum ætate ſexdecim annorum, ac fortè fortunâ incidiſſet in eaſdem cogitationes cum D. Argeſio; cùm vel duodecim annorum ætate, licèt nulla Geometrica opera

opera vidiſſet, ſibi confecerit definitiones particulares figurarum, & deinde axiomata, & eò uſque ſuas extenderit cognitiones, ut ubi deprehenderetur in ſuis operationibus, jam in iis perveniſſet ad trigeſimam ſecundam propoſitionem primi libri Euclidis, quem numquam legerat.

Hoccine tu credis, aït D. Carteſius? Et quidni crederem, reſpondeo. Hoc dicitur, & circumſtantiis ornatur in præfatione, de quâ tibi loquor, eâ ratione, quæ nullum relinquat dubium. D. P. parer, qui deſiderabat, ut ſuus filius initio ſeſe adplicaret cognitioni Linguarum, quas ipſemet eum docebat, ſummâ curâ id egit, ut ipſum celaret vel nomina rerum, de quibus in Mathematicis agitur, atque ſibi temperavit ne etiam cum amicis ſuis de iis loqueretur, eo præſente: nihilominus juxta Auctorem Præfationis ardens illud deſiderium, quo ferebatur puer iſte versùs illas ſcientias, junctum ingenio ejus præceptoris vicem ipſi præſtitere: cùm nequiret, ob occupationes ipſi præſcriptas, nil niſi horas oblectationis (& hæc circumſtantia notatu ſatis digna) ſubcidere, quod poterat, dabat ſpeculationibus: cogébatur, aït, ſibi ipſi definitiones formare: circulum adpellabat rotundum quodpiam, lineam vectem, & ita de reliquis. Poſt illas definitiones, axiomata ſibi fecit; ac ſicuti ab uno ad aliud progreſſus fit in illâ ſcientiâ, eò uſque ſuas inveſtigationes provexit, ut pervenerit ad trigeſimam ſecundam Euclidis propoſitionem. Cùm in eâ verſabatur, pater ejus fortè fortunâ ingreditur locum ubi ille erat, eumque reperit adeò intentum operi,

ut

ut diu fuerit antequam ejus adventum animadverteret: verùm pater longè majori admiratione fuit perculſus, ubi, poſtquam ipſum rogâſſet quid faceret, reſpondit ſe aliquid quærere, quod præcisè erat trigeſima ſecunda primi Euclidis libri propoſitio. Deinde ipſum rogavit, quid effeciſſet ut de hoc cogitâſſet, reſponditque, in cauſsà fuiſſe, quod tale aliud quid inveniſſet, ſic ſemper retrogrediens, & ſe explicans per nomina vectis & rotundi veniſſet uſque ad definitiones & ad axiomata, quæ ſibi formârat. D. P..... adeò obſtupuit ad magnitudinem & vim genii filii ſui, ut ipſum linqueret & obmutiret, ac e veſtigio ſe contulit ad D. Pallerium verſatiſſimum amicum ſuum in Mathematicis: ubi ad illum venerat, immobilis perſiſtit, inſtar hominis in exſtaſin abrepti. D. Pallerius hoc viſo, & conſpecto etiam, ipſum lacrymas fundere, planè horrore percuſſus fuit, ipſumque obſecravit, ne diutiùs celaret cauſſam ſui doloris. Non lacrymor inquit D. P.... præ adflictione, ſed præ gaudio. Noſti curam, quam adhibui, ut filio meo cognitionem Geometriæ eriperem, ne ab aliis ſtudiis ſuis redderetur averſus. Interea en quid fecerit. Atque dehinc ipſi narravit omnia, quæ modò dixi, & D. P..... ex conſilio amici ſui, tandem deſiit vim adhibere ingenio filii ſui, qui duodecim tantummodo annos habebat, ipſique dedit Euclidem.

Bonâ fide, dico D. Carteſio, cenſeſne quempiam hominem poſſe audere conſuere mendacium aliquod adeò ſibi conſtans, ac hoc foret? Anne quidpiam videas magìs vero ſimile,

ſimile, ac illos circulos, quæ rotunda adpellantur, illas lineas, quæ vectes? Hoccine non ſufficit, ut credibilia reddantur axiomata, & ſecunda trigeſima primi Euclidis? Quid magìs naturale, quàm admiratio D. P.... patris, fortean excepto, quod aliquantò longior fuerit, qui e veſtigio pallium ſuum adſumſit, equos vehiculo adjunxit, repertuſque fuit adhuc ad Pallerium adveniens in immobilitate, quæ eſſet terrendo Pallerium. Denique pulchra hæc ſunt omnino & rara, dolendum eſſet, ſi vera non forent.

Atque ego ajo, reſpondet D. Carteſius, magnopere dolendum fore, ſi hæc omnia vera forent; & crederentur: nam, ſi ſemel crederetur, puerum duodecim annorum, qui nullum umquam de Geometriâ librum legit, coram quo de eâ datâ operâ numquam ſermo fit, cujus ingenium per totum diem occupatur cognitionibus planè diverſis, qui non ſibi liberas habet niſi aliquot horas oblectationis, quas tamen fortè ipſi non licuit in ſolitudine tranſigere, ſibi potuiſſe formare quandam methodum Geometriæ, invenire axiomata, & pervenire dehinc ad ſecundam trigeſimam propoſitionem Euclidis; ſi, inquam, ſemel ſimilia crederentur, fides hominum exponeretur vel maximè Hyperbolicis Panegyriſtarum imaginationibus. Iſte laudandi modus imò vel injuriâ adficit eos, qui laudantur; atque laus tam parùm veræ ſimilis, ac hæc eſt, veras ſuſpectas facit, quibus commixta reperitur. D. P..... homo fuit ingenio præditus planè ſingulari: at verò nec Angelus, nec Dæmon. Ad hæc dixi Carteſio, me adfuiſſe non

non ita diu, conſortio cuidam, ubi ſermo ferebatur de iſthoc negotio fere ſimilis ſententiæ ipſius, atque ibi repertum quendam ex Societate, quam ſibi non admodum obſtrictam habet D. P. . . . . . qui cùm videret, omnes deridiculo habere illam fabulam, frigidè dixit, Auctorem Præfationis & amicos ejus pro meritis tantummodo agere cum D. P. . . . , nec adhuc dicere quæ ſufficerent; atque cùm urgeretur, ut mentem ſuam explicaret eâ in re, quam non admodum ſeriò adfirmare ſatis videbatur, adjunxit, videri ſibi adhuc nimis exiguam illam hyperbolem, quantumvis ingens adpareret, ſi vellent agnoſcere officia, quæ iis præſtitit Epiſtolis ad Provincialem, in quibus in eorum gratiam multò plura fecerat, quæ has hyperbolicas laudes ſatis mererentur, & in re majoris momenti. Omnes in eo conſentire, & agnoſcere, non majores grates potuiſſe perſolvi pro officiis, quæ D. P. . . . iis Dominis præſtiterat. Interea oportet, ut totum tibi dicam. D. P. non ſcripſit niſi ex fide commentariorum, quæ ipſi fuere exhibita, quæque, quantumvis falſa, vera credidit, cùm non cognoſceret genium iſtarum partium, quibus ſe addixerat. Ac profectò ipſe deprehenſus inopinò magìs eſt, quàm malâ fide egit. De his nihil ampliùs porrò diximus, & D. Carteſius denuò me duxit ad Carteſianiſmum.

Rogavit itaque, quo in ſtatu Carteſianiſmus verſaretur in Univerſitatibus, & in celeberrimis Collegiis Galliæ, & quâ exiſtimatione eſſet ejus doctrina; apertè ipſi dixi omnia quæ ſcirem. Nullum me noviſſe Collegium,

legium, in quo apertè ipſius doctrinam profiterentur: in compluribus interdictum eſſe, ne doceretur: in Univerſitate Pariſienſi ſummè caveri, nequid Profeſſores nimium ſumant libertatis illâ in re: Carteſianiſmum ibi conſtituiſſe occupationem plurimarum congregationum: dixiſſe mihi nonneminem, olim ibi deliberatum ecquid ſtatuto Parlamenti interdiceretur: id fuiſſe propoſitum D. primo Præſidenti Lamognonio piæ memoriæ, verùm illud conſilium in actum non deductum: Univerſitatem Cadomenſem, poſt Pariſienſem florentiſſimam, ſaltem Philoſophiam ſi ſpectes, tandem anno MDC LXXVII. adversùs illam doctrinam inſurrexiſſe, quam proſcribit veluti contrariam ſaniori Theologiæ, omni ereptâ ſpe, quicumque tandem adgrederetur illam propugnare, umquam fore ut admitteretur ad aliquem gradum in corpore Univerſitatis; interdicendoque omnibus jam ejus membris, ne vivâ voce, vel ſcriptis illam docerent, ſub pœnâ amiſſionis privilegiorum & graduum ſuorum: ſecutam illam in eo Univerſitatem Andegavenſem, quæ ante duos elapſos annos ſimilia confeciſſet decreta, quæ confirmata fuere Statuto Regio, facto Verſaliis Anno MDC LXXV, & plurimas ex Univerſitatibus reliquis eodem modo cum æmulatione ſe geſſiſſe.

Iſthæc nova Carteſio moleſta fuerunt. Quî verò, cum indignatione erumpit, nemone iſthoc rerum ſtatu me defendendum ſuſcepit, nullumne Corpus, nulla Societas pro meâ ſtetit doctrinâ? Cernere eſt integros Ordines Scotiſtas fieri & Thomiſtas, & partes propugna-

re, hos Univerſalis *a parte rei*, illos verò Univerſalis *a parte mentis*, nonnumquam ultra limites laude dignæ æmulationis; Philoſophia verò adeò ſolida & curioſa, ac mea eſt, relinquitur expoſita perverſo univerſitatum judicio. Largitus ſum Hollandis iſtum agendi modum, quorum non erat eam rationem habere peregrini, ut ego eram apud illos: numquam verò credidiſſem fore, ut ſic in Galliâ exciperer, propriâ meâ patriâ, quam profectò ſatìs magno honore adfeci. Cur ex Sueciâ Pariſios tranſlata ſunt oſſa mea, ſi, dum ibi cum pompâ terræ mandantur, & funebribus cum elogiis, crudeliter mea vellicatur memoria per omne Regnum? Paulò citiùs, quam par erat, Mundum reliqui: at verò, ubi eum liqui, ſatìs ibi magnâ in exiſtimatione verſabar. Fida adhibueram auxilia conſervandis partibus meis; nec res meæ adeò inclinatæ forent, modò diſcipuli mei mea preſſiſſent veſtigia, & meos fines exactè eſſent exſecuti.

Fatendum enim mihi eſt, pergebat, me non vacâſſe vitio omnium auctorum Sectæ cujuſdam: ſentiebam progreſſum meæ, licèt ſimularem ſatìs indifferentem me eſſe eâ in re, velut in omni aliâ; ac ſpes illa, quam conceperam, fore ut aliquando illam primam conſpicerem inter omnes reliquas, mihi calcar addebat, ut eò animoſiùs laborarem: feceram mihi ſyſtema aliquod, juxta quod me gererem ad hunc ſcopum obtinendum. Initiò cogitationes meas converti versùs Jeſuitas, eoſque tentavi, an non poſſem in meas partes pertrahere, vel ſaltem ex iis nonnul-

nullos mihi adjungere: magnum hoc meis addiſſet negotiis momentum, ac deinde ſola proceſſiſſent: Collegia obtinent illi præcipuarum Civitatum Galliæ: plurimi inter eos homines reperiuntur ingenio præditi, & apti propugnandis meis dogmatibus, quòd ſi ſemel ea receperint. Mea opera ad ipſos mittebam, rogans ut illa examinarent, iiſque fidem faciens, me ſubmiſſurum cenſuræ ipſorum. Favebant mihi ſatis temporum momenta. Provincialis ipſorum eo tempore ex eâdem erat mecum patriâ, meus amicus & propinquus: Rector Philoſophiæ meus, qui adhuc in vivis, quemque animadverteram eſſe paulò magìs Phyſicum, quàm pro temporum iſtorum ratione, ſatìs propenſum in me animum habebat. Denique non deſperabam de felici ſucceſſu: verùm admodum miratus ſum, ubi Pater Merſennus Lutetiâ ad me ſcripſit P. Bourdinum Mathematicum Collegii Jeſuïtarum Theſes publicas feciſſe, in quibus doctrinam meam impugnabat. Fuerunt iſtæ primæ quæ in Galliâ contra me adparuerunt. Hinc ego conjicere, quæ foret Societatis ſententia, & quàm exigua mihi habenda ratio amicitiæ ſingulorum aliquorum. Paulò poſt idem ille Mathematicus ſcripſit adversùs meas Meditationes ſtylo parùm ſerio, atque eas deridendas propinavit, idque me adegit ut ipſi paulò violentiùs reſponderem. Conqueſtus fui de eo apud P. Dinetum epiſtolâ quâdam, quæ cum meis meditationibus impreſſa eſt. Brevi, Jeſuitæ & ego in diverſa abiimus. Rogavi, P. Merſennum, ut ad animum adverteret, quo modo ſe gererent erga me

Variæ Epiſt. Carteſ. Tom. III.

iſti Patres, ac de omnibus certum me faceret. Statui etiam eos impugnare, & nonnullos Curſus iſtorum impreſſos refellere, qui maximâ fruebantur exiſtimationæ: verùm deinde mentem mutavi nonnullas ob rationes.

Interea aliud mihi ſuppetebat telum. Circa id tempus in Galliâ aliæ partes formabantur Jeſuïtis e regione oppoſitæ, compoſitæque ex iis, qui ſe Diſcipulos nuncupabant S. Auguſtini, quique Sectatores erant zeloſi doctrinæ D. Janſenii Epiſcopi Hyprenſis. D. A..... juvenis licèt adhuc Doctor, modo quodam prætervulgari ſe in iis conſpiciendum præbebat. In commercio, quod cum illo fovebam occaſione nonnullarum objectionum, quas fecit ad meditationes meas, ad quas reſpondi ingenti cum teſtificatione exiſtimationis ejus ingenii & captûs, eum agnovi pro eo, qui erat, hoc eſt homine ſingularitatis & novitatis amatore, & de quo certi poſſimus eſſe, ubi ſemel ſe addixiſſet parti cuidam, duplici illâ gratiâ pollenti. Igitur mihi ipſum conciliavi: ac crediderim, non parùm in cauſsâ fuiſſe ut is mihi ſe addiceret, quòd mihi adeò malè a Jeſuitis ſatìs fieri monſtrârim. Ille id effecit, ut ab illo tempore pauci conſpecti fuerint Janſeniſtæ Philoſophi, qui Carteſiani non forent. Imò ipſi illi Philoſophiam introduxerunt ad Matronas; mihique Pariſiis perſcriptum fuit illo tempore, nil vulgatum magìs eſſe in mulierum conventibus, quàm paralleliſmum D. Hyprenſis & Molinæ, Ariſtotelis & Carteſii.

Deinde cogitavi de adjungendâ mihi aliquâ Societa-

Societate : etenim recordabar, ejus, quod dicebat defunctus Janſenius : *Iſtiuſmodi homines miros ſe præbere, ubi ſemel aliquid ſuſcepe- runt negotii : judicabatque, non de nihilo fore ; ſi Auguſtinus ſuus auxilia nanciſceretur a ſimili quadam Societate, quoniam, addebat, ubi ſemel ſe rei immiſcuerunt, omnes tranſſiliunt limites, pro & contra.* Initio oculos conjiciebam in PP. Minimos ob P. Merſennum, qui intimus meus amicus erat, & magnæ apud Ordinem exiſtimationis : verùm advertebam, licèt inter illos Patres homines reperirentur ſatis idonei, parùm tamen illos foris verſari, & publicè docere. Præterea, P. Merſennus fidem mihi faciebat, ſi negotium exhiberetur Comitio, partes Ariſtotelis indubiè ſuperaturas, ob ſeniores, qui jam a longo tempore Philoſophiâ erant inſtructi, nec vellent ſumtus in novam comparandam erogare. *Epiſt. Janſen. ad S. Cyr.*

Prudenter te ibi geſſiſti, quòd id non tentaveris, interrupit ſenex noſter : etenim ab illo tempore Pater quidam illorum Ordinis, dictus P. Maignan homo ingenio & eruditione præditus, paululùm a viâ qui deflexerat, & viam inierat novam, licèt a tuâ diverſam, ut mihi relatum fuit, in generali Comitio malè mulcatus eſt ; atque interdictum fuit, ne quis ejus Principiis adhæreret. Ac dein Caput inter illos Patres, æquè ac inter reliquos Religioſos, Metaphyſica eſt & Theologia. Quod propriè Phyſica adpellatur non admodum apud eos obtinet. Fædus offenſivum, & defenſivum ictum inter complures Ordines circa prædeterminationem phyſicam contra ſcientiam mediam, primarium nego-

tium eſt, quod eos jam a centum retro annis occupat.

Et adhuc diu eos occupabit, reſpondit D. Carteſius, ob rationem eandem, quæ fecit, quò ita, ut dixi, me gererem, hoc eſt, quia Prædeterminatio & Scientia media facta ſunt dogmata Ordinis & Societatis. Hanc dignitatem volui conciliare Philoſophiæ meæ, ut illam æternam redderem: ſed denique, quidquid ſit, ubi Mundum liqui, res reliqui eo in ſtatu, qui mihi omnem ſpem faciebat: magna mihi erat pars Congregationis Patrum Oratorii. Eſt illud Corpus in Galliâ conſpicuæ dignitatis, ubi ſtudiis opera datur, & ubi plures ſibi famam adquiſiverunt ſuâ eruditione, librisque ſuis: æmulatio quæ viget inter eos & Jeſuïtas, illæſâ tamen exiſtimatione & reverentiâ, quas invicem ſibi exhibent, omnino effecit, ut in iſtâ Congregatione mihi auſcultarent. Iſtine Patres me abdicârunt?

Memoriam mihi ſubjicis, e veſtigio reſpondeo Carteſio, nonnullorum particularium in hâc materiâ, quæ ignorare neutiquam debes: neſcio, an tibi ſit cur bene vel malè ſis contentus de RR. PP. iſtis, ipſe judicabis. Decem vel undecim anni ſunt, ex quo acciderunt nonnullæ turbæ in Univerſitate Andegavenſi occaſione nonnullarum Theſium defenſarum apud PP. Oratorii, in quibus multum erat novæ Philoſophiæ, partim juxta tua principia, partim juxta ideas particulares Profeſſorum. Univerſitas conſpectis his novitatibus conturbata noluit Theſes approbare. Scripſit eâ de re ad Aulam, & ad P. Generalem. Aula reperta fuit favere Univerſitati; quod coëgit

Collectio eorum, quæ geſta in Univerſitate Andegavenſi. MDCLXXVII.

coëgit P. Generalem in Congregatione, ut ſtatueret, priſcis opinionibus adhærerent, nec ampliùs ullâ ratione novam Philoſophiam docerent. Verùm, en tibi quod te conſoletur. Statim pòſt adparuit epiſtola quædam, conſcripta admodum Latinè ad R. P. Senaltum Generalem Oratorii, cui titulus, *Epiſtola eorum, quotquot in Oratorianâ Congregatione Carteſianam doctrinam amant.* In quâ epiſtolâ, poſtquam expoſuiſſent rationes, ob quas ipſum precarentur ne ingenia cogeret in illâ re, adjungunt hæc verba; *ut noris, quàm latè Carteſiana hæc labes (ſi labes eſt) ..... graſſetur. Plus quàm ducenti numero ſumus, quos peſtis iſta infecit.*

Ex eo conjicere erat, quàm potens eſſes in illâ Congregatione. Hoc tamen interea non obfuit, quin anno MCDLXXVIII. congregatio generalis Oratorii decretum faceret, quo profitetur, nullas ſe partes amplecti; verùm ſemper fuiſſe, & velle ut maneret liberum ipſis omnem bonam & ſanam doctrinam retinere; nec interdicere niſi ne illæ doceantur, quæ ab Eccleſiâ proſcriptæ ſunt, vel ſuſpectæ eſſe poſſent dogmatum Janſenii & Baii circa Theologiam, & opinionum Carteſii circa Philoſophiam. O ignavos & vecordes! exclamat Carteſius planè indignatus. Clementer, mi Domine, reſpondeo ego. Quòd ſi tu eſſes præſul alicujus Corporis, cujus eſſentialia commoda cogereris conſervare, longè diverſâ ratione ſentires ab eâ, quâ nunc tamquam auctor Sectæ. Nec prudentia, nec conſcientia umquam adegerunt ullum hominem, ut ſe martyrem alicujus Philoſophi faceret. Non eſt eodem

modo cum Philoſophicis comparatum, ac cum iis quæ ſunt Religionis. Poſſumus non reprobare opiniones Philoſophi alicujus in ſe conſideratas, & interea iſthoc in rerum ſtatu verſari, ut prudentia cogat earum curſum ſiſtere.

Verùm duo ſunt, quæ jam tibi indicavi, quæ etiam in hiſce debent efficere, ut nihili facias exiguas iſtas Philoſophiæ tuæ adverſitates. Primum eſt, quòd pars ejus optima incipiat auctoritatem nanciſci in ſcholis juratiſſimorum Peripateticorum, qui ſe non opponunt ampliùs veritati, quam ipſis cognoſcendam exhibuiſti, ſed qui duntaxat Ariſtotelis res curare conantur, ne dicatur, ullum umquam Philoſophum exſtitiſſe Ariſtotele perſpicaciorem. Nôſti quid acciderit præterito ſeculo in Galliâ. Sapientiſſimi iſtius Regni non poterant non adprobare maximam partem egregiarum regularum quæ in Concilio Tridentino erant confectæ. Rationes tamen nonnullæ impedimento erant, ne reciperetur iſtud Concilium in iis, quæ ſpectabant diſciplinam. Quid factum igitur? Status Bleſenſes Statuta fecerunt planè ſimilia maximæ parti iſtorum Decretorum Concilii. Atque adeò, non recipiendo Concilium re verâ Concilium ſequebantur. Peripatetici noſtri aliquo modo imitati ſunt iſtos ſapientes politicos. Apud eos crimini vertitur, Carteſianus ſi qui ſit: verùm honori ducitur, ſi quis rectè utatur iis, quæ optima ſunt apud Carteſium. Et ut comparationem inſtituam fortunæ doctrinæ tuæ cum fortunâ alterius cujuſdam, quæ noſtris temporibus magnum in mundo rumorem.

rem concitavit, antequam propoſitiones Janſenii Romæ fuiſſent damnatæ, Sectatores ipſius magno honori præceptoris ſui illas vertebant. Erat doctrina ipſius mera, quam ex magno Sancto Auguſtino hauſerat: verùm vixdum cenſuram ſubierant, atque hæreticæ erant denuntiatæ, cùm continuò diſparuere in libro Janſenii. Non ampliùs poterat quiſpiam ſalvâ conſcientiâ credere, illas ibi reperiri, & non obſtantibus Bullis Paparum, & Statutis Epiſcoporum, mortale peccatum erat ſubſcribere condemnationi propoſitionum & Articulorum, ſine diſtinctione facti & juris. Planè contrarium evenit in re; de quâ loquor,

Simulac Carteſiani mentionem occipiebant facere materiæ cujuſdam ſubtilis, Horrorem vacui deridiculo habere, loqui de virtute aëris Elaſticâ, & gravitate columnarûm ejus, de modo, quo peragebatur impreſſio objectorum in ſensùs, ſtatim iis opponebatur Ariſtoteles, veluti doctrinam docens planè huic contrariam.

Poſtea, poſtquam examinâſſent rationes, quibus tuæ propoſitiones in hiſce inniterentur, noluerunt dicere, te rectè ſentire: verùm plurimi elegerunt dicere, Ariſtotelem magnam horum omnium partem ante te docuiſſe. Dehinc reperta eſt in ejus Libris materia quædam ætherea, Senſationes fieri agitatione organorum, demonſtratio Gravitatis Aëris, ac pulchriores veritates Æquilibrii Liquorum. Ita cùm Janſeniſtæ relinquerent, vel ſimularent ſe relinquere jus, & in facto ſe munirent, Peripatetici contrà adgrediuntur

poſſeſſionem juris per factum ipſum: hoc eſt, Peripatetici nunc apud Ariſtotelem reperiunt, id quod juxta ipſos ante triginta annos apud ipſum non reperiebatur: planè contrariâ ratione ac Janſeniſtæ, qui non ampliùs apud Janſenium reperiunt propoſitiones, quas olim ipſimet in eo monſtrabant, antequam damnatæ fuiſſent. Adeò ut, modò vel tantillum velis remittere, ut te obſecro, quò fidem meam liberem ſuper hiſce datam Voetio veteri amico tuo Hollando, viſuri ſimus Carteſium evadentem Peripateticum, & Ariſtotelem Carteſianum.

Tandem alterum illud, quod te gaudio adficere debet, & quod contra inimicorum tuorum omnes machinationes ſpem tibi ſubjicere poteſt immortalitatis Carteſianiſmi, eſt, quòd ſemper ſatìs magna libertas detur ſcribendi pro vel contrà; & hodie ſolidiſſimus & dexterrimus novæ Philoſophiæ propugnator ſit celebris quiſpiam Oratorii pater, cujus libri magnâ fruuntur exiſtimatione. Statim me nomen ipſius rogat, & quis iſte eſſet. Vocatur, reſpondeo, Pater Malbranchius. Homo eſt perſpicaciæ ſupravulgaris, meditationum profundarum, qui gaudet rarâ dote ſuas animadverſiones in ordinem redigendi, eaſque explicat modo quodam ſummè adcurato & vivido, qui ſemper probabilem ſpeciem novit addere rebus vel maximè inſolitis & abſtractis ſummè, qui ad culmen pervenit artis præparandi mentem Lectoris, quò in ſuam deſcendat ſententiam. Brevi eſt ille maximus ſeductor Carteſianus omnium, quos novi. Præcipuum ejus opus titulum habet; Inquiſi-

quiſitio Veritatis; ac in eo præſertim agnoſcitur pro eo, quem modò tibi depinxi. Interea non poſſum te celare accidens quodpiam, quod valet imminuere gaudium, quod oportet ut ex his novis percipias. Scilicet illuſtris ille novæ Philoſophiæ ſectator, jam ab aliquò tempore lites aluit cum D. A., cujus ſemper amicus fuerat; atque id ſpeciem exhibet civilis belli. Cum vigore hinc & illinc impetum faciunt, & arcent; ſuo quiſque dimicat more. Volumina quingentarum & ſexcentarum paginarum e manibus D. A... momento minùs exeunt. Alter minùs eſt fœcundus, ſed curatior : imitatur iſtos Duces, qui non adhibent niſi ſelectas copias, nullâ ratione habitâ numeri, quique ſemper preſsè procedunt, & bono ordine; qui ſinunt hoſtem procurrere, quamdiu ipſi lubuerit, verùm qui non deſunt datâ occaſione ipſius aciem perrumpendo. Varii variè, de cauſſis hujus belli differunt. D. A. adgreſſor eſt. Politici perſpicaciores, qui, ut noviſti, numquam non in iſtiusmodi occaſionibus ingenio ſuo exiſtimationem conciliant, ajunt eſſe induſtriam artem veteris Doctoris, qui & plures iſtiusmodi alias ſcit. Ab aliquot annis duo prodierunt adversùs ipſum libri. Primus vocatus Genius D. A., cujus Auctor Miniſter Proteſtantium eſt Gallus in Hollandiam refugus. Malus profectò iſte liber eſt, & veneno & malignitate plenus: verùm D. A.... moleſtiſſimam creat moleſtiam. Propria ipſius adhibet arma, non tantùm contra ipſum, verùm etiam contra Religionem Catholicam; ac directè e principiis, & praxi D. A... conclu-

 dit,

dit, plurima argumenta, quæ validiſſima exiſtimat ille & maximè proficua Regioni Catholicæ, nullius momenti eſſe, nihil niſi ſpecioſum quiddam continere, nec inſervire niſi caligine obducendis oculis ſimplicium, atque eorum qui non penitus res perpenderunt.

Alter liber, ante hunc impreſſus, verùm qui non in publicum prodiit niſi poſt aliquod interjectum temporis ſpatium, ſcriptus fuit a Jeſuitâ quodam contra quandam Verſionem Gallicam novi Teſtamenti, quæ vulgò vocatur Novum Teſtamentum Montenſe, concinnatam a DD. . . . . , quorumque ſe D. A. . patronum & propugnatorem geſſit. Liber iſtius Jeſuitæ ſolidè, eruditè, & eleganter eſt conſcriptus. Impugnatur admodum ad rem D. A. . . circa varios articulos, & paſſim in iſtis locis additur, provocari ipſum, ut reſpondeat ſuper hâc vel illâ quæſtione. Duo illi libri tamen ſine reſponſo manſerunt, nec auſit quiſpiam dicere eò reſponſum non fuiſſe, quia contemtui ſunt habiti, nec operâ digni. Imò Religionis intereſt, ut reſpondeatur ad primum (ſicut & alius quiſpiam ab D. A. . . . jam fecit) & honoris exiſtimationiſque D. A. . . . ſcrupulos ut eximat, quos factorum evidentia, & rationum vis, quas reperire eſt in ſecundo, in hominum mentibus creârunt. Ecce igitur, quomodo ratiocinentur politici Reipublicæ Litterariæ.

Longâ experientiâ conſtat, D. A. . . . numquam admodùm patientem fuiſſe circa libros adversùm ſe ſcriptos. Unde ergo illa inſolita patientia, quam adfectat reſpectu duorum illorum? Unde oritur, quòd, cùm ſe debe-

ret

ret defendere contra inimicos, qui ſe offerunt ipſimet ad eum invadendum, quique tam ruditer ipſum excipiunt, novos ſibi ſuſcitet adverſarios, & datâ operâ turbas excitet, & dimicare velit cum amicis & propinquis ſuis, dum interea regio ipſius manet expoſita rapinis, & beneplacito hoſtium? En, ajunt illi rei ſardinem. Gemini iſti libri negotium faceſſunt D. A.... Prior ipſi argumenta proponit *ad hominem* ſuper variis quæſtionibus, ad quas reſponſum invenire nequit. Alter conſcriptus eſt tantâ cum circumſpectione & exactitudine, ut ne minimum quidem ſe periculo exponat, & omnes occludat aditus, quibus delabi ſuus poſſet adverſarius. Prudentiæ non foret ſe committere tam arduis partibus. Obtegenda tamen & velanda ſunt vitia; ac deinde, quamdiu vivet D. A., ſtatuit in mundo rumorem excitare, & ſcribere, & diſputare quovis pretio. Eum in finem ſubdolè diverticula quærit. De nihilo contumeliam dicit P. Malbranchio, illum minis adgrediens ſe impugnaturum tractatum quendam, quem fecit de Naturâ & Gratiâ, quemque auſus fuerat contra ejus ſententiam imprimi curare. Ingens opus conſarcinat contra duo vel tria capita Inquiſitionis veritatis. Reſpondetur ad illum librum; dein D. A. reſpondet denuò. Ingeminat P. Malbranchius. De novo eum petit D. A. Tunc rogatur quare D. A. non reſpondeat D. Jurio, nec Jeſuïtæ. Heus, quâ ratione vis, ajunt, ipſum illi reſpondere; nonne ſatis ipſi negotii a Patre Malbranchio, cujus exigua volumina magnis libris onerat, quemque vult impedire, ne introdu-

cat in Eccleſiam impietatem omnium maximam, ſcilicet doctrinam de Deo quodam corporeo, abſque quâ intelligi nequit, quid velit ſuâ extenſione intelligibili, quam in Deo aït eſſe. Interea ab aliâ parte res urget. Verùm quid fieri vis, vulgò adjungitur? Non quis ubique ſimul poteſt eſſe. Dum Poloniæ Rex cum omnibus viribus Regni ſui Viennam hoſtium manibus ereptum tendebat, an non cogebamur pati Caminici præſidium Podoliam percurrens, & Tartaros ſervos in Ucraniâ ſibi facientes?

Si illa conjectura vera non ſit, aït D. Carteſius, ſaltem vero ſatis ſimilis eſt, nec malè admodum politici iſti ſunt homines. Verùm præterea, quodnam ſubjectum diſputationis inter duos illos celebres Auctores? Profectò enim rationem habeo eorum quæ illos ſpectant. Agitur, reſpondeo, de naturâ idearum, & de modo quo cognoſcimus objecta, quæ extra nos ſunt. D. A. contendit noſtras ideas non eſſe niſi modalitates noſtræ mentis; & P. Malbranchius vult, iſtam opinionem ferendam non eſſe, & adſeverat, nos non cognoſcere objecta niſi in Deo, qui, cùm ubique ſit, intimè noſtræ menti unitus eſt, & qui, juxta leges generales unionis corporis & animæ, nobiſcum communicat ideam, quam in ſe ipſo habet, objecti, cujus eodem tempore nobis impreſſionem ſentire facit. Uterque conatur in nonnullis occaſionibus te in ſuas partes pertrahere, vel potiùs oſtendere, nihil ſe contrarium adferre tuis cogitatis ſuper ideis: verùm crediderim te non eâ ratione hanc materiam enucleâſſe, ut utervis eorum

rum in hiſce auctoritatis tuæ valeat auxilio uti.

Vera ſunt quæ mihi narras, reſpondet Carteſius. Verùm tandem quiſnam e duobus illis primas fert? Reſpondeo, me non ejus temeritatis eſſe, ut de litibus, & de victoriis duorum iſtorum Heroum decidam: id ſolum poſſe me dicere, bonâ planè fide illos hîc ſe gerere: licèt D. A. propoſuiſſet impugnare tractatum de Naturâ & Gratiâ P. Malbranchii, e re duxiſſe ut inciperet a refutatione eorum, quæ ille ſcripſerat circa ideas in opere ſuo de Inquiſitione Veritatis, ut qui illum locum haberet, ut ipſius adhibeam cogitationes & terminos, pro externo ambitu illius loci, quem ſubvertere cogitabat. Materia cùm eſſet valde abſtracta, valde metaphyſica, & ſupra captum vulgarium hominum; & ſyſtema P. Malbranchii in hâc re requireret inſignem attentionem, ut intelligeretur, D. A.... videri ſubdolè hanc adhibuiſſe methodum adgrediendi, ut adverſarium ſuum cum emolumento impugnaret; verùm P. Malbranchium non relicto ſuo exteriori ambitu, ubi ſe bene defendebat, ipſum adlexiſſe in ipſum corpus loci; hoc eſt, ipſum implicâſſe materiæ de Gratiâ, quæ terra eſt admodùm adverſa, & locus valde lubricus D. A..., & ubi alter ipſum proximè urgebat. Non audere tamen me P. Malbranchio fidem ſucceſsûs facere ab illâ parte, ob inſignem ſcilicet experientiam D. A... in iſtiuſmodi bello, in quo meretur ſanè elogium, quod ſibi ipſum reddebat Archithalaſſus Chatillonius; ſcilicet, habere ſe, quo diſtingueretur inter maximos

Du-

Duces, qui umquam fuerant, in eo ſcilicet, quòd, cùm ſemper fere ab inimicis fuiſſet victus, in omnibus conflictibus, quos dare coactus fuerat, inferiores tuliſſet, erectus tamen ſtaret poſt tot infortunia aptus partibus ſuis inſtaurandis, & eam præ ſe gerendo ſpeciem, quæ eſſet par excitandæ inquietudini in iis, qui ipſum proſtraverant. Imò poſſem addere, nullâ tamen injuriâ P. Malbranchium adficiens, ipſum jam ſentire damna illa, quæ intulit hæc ultima diviſio: etenim, ante illud infortunium, & cùm adhuc eſſet amicus D. A..... erat ille, ut ubique ferebatur, ſublimis ingenii, & infinitæ perſpicaciæ; nunc verò homo eſt, qui non niſi confuſiones & contradictiones profert, quem capere, nec ſequi datur abſque periculo erroris; adeò verum eſt, amicitiam D. A.... hodie etiamnum eſſe, ſicut ab omni tempore fuit, magnum fontem meritorum iis, qui illam poſſident; ac privatos, non magìs quàm Societates, hâc prærogativâ carentes, numquam ob id, famam ſi ſpectes, meliùs ſecum comparatum eſſe comperturos.

Interea dum hâc ratione cum D. Carteſio colloquor, ex improviſo neſcio quam ſenſi mutationem, quæ in me fiebat, quæque habebat aliquid ſimile illi, quod experimur in nonnullis quibuſdam ſubitis ſtuporibus, ubi omnia rotari, & colorem mutare videntur. Numquam crediďiſſem, in animam a corpore ſeparatam ſuo potuiſſe tale accidens cadere. D. Carteſius qui id advertebat, gnaruſque erat quid rei eſſet, per momentum me liquit, & Ariſtotelis Legatos adiit. Quid inter eos

actum

actum non cognovi, niſi ex ſene meo, qui mihi narravit, poſtquam ad Mundum revertebamur. Dicebat mihi, D. Carteſium nolle cum iis ad rem venire: tantummodo fidem iis feciſſe, nihil ſe moliri ad turbandam quietem Ariſtotelis in ipſius imperio; verùm exiſtimare ſe difficile eſſe, ut illis poſſet inter ſe convenire; atque adeò ex uſu eſſe, ut quiſque liber permaneret in ſuâ ſententiâ, ut antè, nullum laborem impendens aliis in eam pertrahendis: interea, ne iter ipſorum planè inutile foret, pollicebatur ipſis id ſe effecturum, ut Carteſiani de Ariſtotele loquèrentur majori cum reverentiâ & exiſtimatione, eâ ſub conditione, ut Ariſtoteles Peripateticis præciperet, ne tantâ cum violentiâ in Carteſianiſmum irruerent.

Ut redeam ad ſpirituale meum deliquium, ejus cauſſam pariter non ſcivi antę meum reditum: en illam. Oportet ut ſupponamus, quamdiu noſtra mens conjuncta eſt corpori noſtro, magnam partem idearum ſuarum & ſuorum judiciorum dependere a diſpoſitione noſtri cerebri. Diverſitas iſtius diſpoſitionis conſiſtit, juxta Peripateticos, in differentiâ ſpecierum, phantaſmatum, vel imaginum objectorum, quæ occluſæ reperiuntur in cavitatibus cerebri, vel impreſſæ ſubſtantiæ ipſius. Novi Philoſophi magis ex veritate adſeverant, iſtas imagines nihil aliud eſſe, niſi veſtigia impreſſa cerebro a ſolito animalium ſpirituum curſu, qui affatim per ea ſe diffundunt ad inſtar fluviolorum, atque ibi quendam quaſi alveum conficiunt, in quęm vulgò fluunt. Quâcumque demum ratione iſthæc diverſa diſpoſitio

ſitio diverſas producat ideas, & diverſa mentis judicia (Myſterium enim eſt captum ſuperans) certum eſt, id fieri, & diverſas ideas diverſa ſupponere veſtigia. Adeò ut ſi diſſecaretur cerebrum aliquod Peripateticum, & ſimul etiam aliud Carteſianum cerebrum, adeſſentque ſatis bona microſcopia, ut poſſemus detegere iſta veſtigia, quæ infinitè tenera ſunt, prodigio ſimilis conſpiceretur differentia inter bina illa cerebra. Non dubitabam hâc de veritate, verùm hactenus crediderам, illam dependentiam animæ non diutiùs durare, quàm in corpore ſuo eſſet, &, ſemel ubi ab ipſo ſejuncta foret, nullum ampliùs illis inter ſe commercium intercedere: verùm contrarium experiebar & mei comites mihi adſeverârunt, quamdiu corpus ſanis & liberis fruitur organis, quantumvis ab eo remotiſſima ſit anima, eaſdem illam impreſſiones recipere, ac ſi corpori ſuo præſens adeſſet, & niſi tabacum Carteſii reſolviſſet mihi nervos ſenſui inſervientes, fore ut vidiſſem etiam cùm eſſem in Mundo D. Carteſii, quæcumque gererentur ante oculos corporis mei; percepiſſem omnes ſonos, qui aures meas feriiſſent; atque ita de reliquis.

Hoc effectum, quantumvis mirandum, animabus Philoſophis moleſtiam non creat: ſi enim Peripateticæ ſunt, explicant illud ope ſympathiæ, quæ reperitur inter corpus & animam ejuſdem individui; & ſi Carteſianæ ſunt, exponunt auxilio generalium legum unionis corporis & animæ, quæ facit, ut Deus occaſione certorum motuum, qui fiunt in corpore, producat in animâ certas cogitationes vel per-

perceptiones, & dicunt, unam ex iis legibus eſſe, quamdiu organa corporis munus ſuum obire poſſunt, animam, ubicumque demum ſiet, recipere impreſſiones objectorum ea agitantium, cùm non magè difficile ſiet Deo iſtam impreſſionem in animâ efficere, ubi illa a corpore remota eſt, quàm ubi ipſi præſens adeſt, cùm locorum propinquitas nihil ad rem faciat; quandoquidem ex ipſorum mente motus organorum non eſt vera cauſſa, quæ iſtas ſenſationes producit, ſed tantummodo cauſſa occaſionalis, hoc eſt quæ Deo occaſionem ſuppeditat illas in animâ producendi.

Igitur ſenex meus mihi inter redeundum confeſſus fuit, quâ ratione conſcio P. Merſenno me ludificatus eſſet. Antequam diſceſſiſſemus, in mandatis dederant Æthiopulo, qui corpori meo cuſtos erat adpoſitus, ut eâ horâ, quâ prævidebant ſatìs, nos fore ut ad Mundum Carteſii adpuliſſemus, curam haberet determinandi curſum ſpirituum animalium in meo cerebro, eo modo, ne ampliùs veſtigia percurrerent, in quibus adſueverant in mente meâ producere ideas Peripateticas, verùm operam daret, ut fluerent eâ ratione quæ requireretur, quamque edoctus fuerat, ad generandas ibi ideas Carteſianas. Quod adeò dextrè exſequebatur, ut ſive ex vi ſympathiæ, ſive virtute legum generalium unionis corporis & animæ, meas ideas e veſtigio immutatas omnes perceperim, atque ego, qui momento antè nihil videram in immenſo illo, in quo verſabar, ſpatio, inceperim ibi cernere materiam, & perſuaderi, ſpatium, extenſionem,

ſionem, & materiam unam eandemque rem eſſe. Poſt hæc, ſimulac D. Carteſius nobis præcipiebat ut cogitaremus, hos aut illos motus in materiâ peragi, eos ibi longè videbam clariùs, quàm perſpicaciſſimi Carteſiani vident particulas materiæ ſtriatas, ad modum cochlearum exiguarum efformatas, conatu illo, quem adhibuerunt ut inter globulos ſecundi Elementi tranſirent, componere exiguum quendam Vorticem circa magnetem aliquem, & producere omnes mirandas illas relationes, quas iſte lapis habet ad polos Terræ, & ad Ferrum.

Manifeſtum eſt, revolutionem generalem idearum iſtiuſmodi non poſſe fieri in mente, quin producat plus quàm vulgarem permotionem in ejus ſubſtantiâ, æquè ac magna humorum revolutio numquam accidit in corpore, quin temperamentum exinde alteretur. Itaque ſummè obſtupui ad prodigioſam iſtiuſmodi mutationem, cujus cauſſam divinare non poteram; nec defui illam adſcribendo arcano cuidam Philoſophiæ Carteſii, qui ſtatim ad me venit, & apertiùs mihi nunc dixit, quàm me initio receperat; Ergone, non vis ut incipiamus operam dare noſtro Mundo? Aptum te jam & dignum comperio hâc oblectatione fruendo. Domine mi, ipſi reſpondeo, neſcio ubi ſim, nec quid de me cogitare debeam: verùm nihil eſt, quod me magis diſpoſitum reddat, ut credam te poſſe evadere creatorem Mundi alicujus, ac illa potentia, quâ in ſpiritus agis. Imò, mi Domine, in eo conſentio, ſpatium, extenſio, & materia una tantùm eademque res eſt. Clarè video,

in


in iſthoc ſpatio eſſe, ex quo novus quidam condatur Mundus; ac ſi ſucceſſus tibi reſpondeat in magno iſto & mirando opere, ab hoc momento corpus meum valere jubeo, ut tecum maneam uſque ad finem Mundi, cùm nihil mihi videatur præferendum illi vitæ, quæ agitur in conſortio animæ maximâ præditæ perſpicaciâ, & potentiſſimâ, quæ umquam e Dei manibus prodierit.

Hoc non e re eſt, refert D. Carteſius; Supremi Entis exſpectare decet mandata ut te planè ſepares a corpore tuo; verùm etiam neceſſarium id eſt, ut eâ ſatisfactione, quam exoptas, perfruare. Minori quàm duarum horarum ſpatio Mundum tibi condo, ubi Sol aliquis erit, Tellus, Planetæ, Cometæ, & quidquid in veſtro videtis mirandum maximè; ac quia ille Mundus, quem conditum eo, habitationi non inſerviet, verùm tantummodo erit ſpecimen alterius cujuſdam multò majoris & perfectioris, quem dato otio condere cogito, facilè ejus motus interpolabo, ut brevi temporis ſpatio diverſas illas oſtendam tibi mutationes, quæ in partibus magni Mundi non accidunt, niſi annorum ſerie.

Jam nunc incipiamus, aït, verùm exactè cura ut me ſequaris in Principiis, quæ adgredior ponere, & in omnibus animadverſionibus, quas tibi faciendas exhibiturus ſum; præprimis ne me interpelles. Poſt exigua illa verba D. Carteſius ſe adcinxit proſequendo ſuo ſcopo. Utile judicavit, ut expoſitione, vel potiùs ſuppoſitione præcipuorum ſuorum Principiorum nos præpararet ad illud exſequendum herculeum opus.

Primò

Primò velim cogitetis, nobis dicit, omne vaſtum hoc ſpatium materiâ conſtare: illud enim ſpatium extenſum eſt, & nihil extenſum eſſe nequit. Igitur hoc ſpatium eſt ſubſtantia extenſa, hoc eſt materia. Quicumque de hâc veritate dubitare valet, aptus eſt qui dubitet, an mons non poſſit dari abſque valle. Secundò reputate, duas leges in naturâ eſſe inviolabiles. Harum prima eſt, unumquodque corpus, ſemel in aliquo ſtatu poſitum, in eodem ſemper manere, nec umquam mutari niſi a cauſſis externis; ſi quieſcat, æternùm quieturum eſſe, ſi moveatur, æternùm motum iri, ſi quadratæ ſit figuræ, ſemper quadratam ſervaturum figuram ſuam.



Linea A G eſt tangens, quam deſcriberet lapis, ſi e fundâ elaberetur in punĉto A.

Secun-

Secundò, corpus ex ſe ipſo numquam pergere moveri niſi ſecundùm lineam rectam, licèt ab eâ deflectere ſæpe cogat aliorum corporum occurſus; atque exinde ſequitur principium aliquod indubitatum confirmatum infinito experimentorum numero; ſcilicet, corpus, quod in gyrum agitur, perpetuò tendere ut recedat a centro ſui motûs, ac ſi fortè ſe liberat a corpore, vel corporibus aliis, quæ ipſum fecerant in circulum circumagi, numquam non elabi per Tangentem circuli, quem in motu ſuo deſcribebat.

Hæc Principia fœcundi fontes longè plurimarum inſignium veritatum, quæ veram conſtituunt Philoſophiam, & unicæ regulæ, quas volo, & quas debeo ſequi in producendo Mundo, quem coram te condere adgredior.

Poſt prolata hæc paucula verba ſummè adficiebar, cùm viderem D. Carteſium ad preces ſe componere, ac humillimum Deo obſequium exhibere pro omnibus elucidationibus, quibus ſcatere mens ejus ſe comperiebat.

Supremum Ens, aït, teſtis tu mihi es, neminem hominem majori cum veneratione & humilitate agnoviſſe ſummum imperium, quod penes te eſt in omnes creaturas. Quamdiu inter homines vixi, datâ operâ id egi, ut eos convincerem de dependentiâ integrâ, quam habent a te; plurimis perſuaſi de illâ tanti momenti veritate: te eſſe ſolum illud Ens, quod producere aliquid in Mundo valeat: eſſe ſuperbiam pœnâ dignam inter homines, quòd credant, poſſe ſe vel minimum motum producere in materiâ, imò illum ipſum, quem mens ipſorum ſibi imaginatur imprimere corpori,

pori, quod animat, eſſe unicè effectum tuæ omnipotentiæ, quæ, ut ſe accommodet legibus, quas ſibi ipſi tua impoſuit voluntas, movet membra iſtius corporis eâ cum exactitudine & promtitudine, occaſione deſideriorum & voluntatum animæ, ut ſibi perſuadeat, eſſe ſemet ipſam, quæ illud movet, licèt ſimul largiatur, ſe neſcire modum, quem debet adhibere illi movendo. Vivæ ſunt elucidationes, quibus me illuſtrâſti, quæ me liberârunt ab iſto communi errore, & viam & methodum commonſtrârunt, quam deberem ſequi in ſtudiis, & contemplatione mirandorum tuorum operum. Quòd ſi nunc adgredior operam dare immenſæ iſti materiæ, quam infinita bonitas tua videtur integram mihi reliquiſſe; atque ſi libertatem mihi ſumſi promittendi diſcipulis meis productionem Mundi ſimilis illi, quem tu condidiſti, totum id fit dependenter a tuâ potentiâ, cujus ſolius rationem habui. Imò, Domine, nil ad hoc opus adferam, præter deſideria meæ voluntatis, quæ per bonitatem tuam velis ſequi imprimendo motum, quem illa deſiderabit imprimi materiæ, & iſti motui conciliando determinationes, quæ requiruntur ad eum, quem peto, finem: cùm ratio & experientia me docuerunt, juxta unam ex regulis generalibus, ſecundùm quas tu agis extra te ipſum, omnem merum ſpiritum, qualis ego ſum, jus habere multò majoris motûs, quàm neceſſe eſt, ad movendam Mundi cujuſdam materiam. Manifeſtam igitur redde, Domine, tuam potentiam in gratiam creaturæ ſpiritualis, quæ coram te tam ſubmiſsè ſuam agnoſcit imbecillitatem

tatem, & nobis præterea hanc occaſionem ſuppedita tuam deprædicandi gloriam.


Hiſce peractis precibus, D. Carteſius ſpatium quoddam delineavit rotundum quingentorum fere milliarium diametro, ut ſpecimen ſui Mundi in brevem contractum figuram exhiberet, & hoc modo nos adlocutus eſt. Nunc vobis tantummodo exhibebo Vorticem Solarem veſtri Mundi, cum iis quæ continet, hoc eſt, Sole, Terrâ, Planetis, Elementis, diſpoſitione præcipuarum Mundi partium, & diverſis relationibus, quibus inter ſe gaudent. Quòd ſi intra paucos annos honore me adficitis ad me viſendum veniendi, reperietis totum magnum Mundum confectum.

Primò adgrediar in partes tantùm non æquales dividere omnem illam materiam incluſam iſti, quod delineavi, vi ſpatio. Omnes iſtæ partes erunt perexiguæ: verùm in ſequentibus adhuc minores evadent. Non erunt omnes figurâ rotundâ præditæ, quandoquidem, ſi omnes iſtius figuræ eſſent, neceſſariò inter illas daretur vacuum: jam verò vacuum eſt impoſſibile: erunt itaque omnis generis figurarum, & maximam partem angularium.

Secundò, cùm unio partium materiæ non conſiſtat niſi in eo, quòd omnes juxta ſe invicem quieſcant, illa diviſio, quam facere inſtituo, eo momento tantùm fiet, quo eas moturus ſum diversâ ratione, & protruſurus versùs diverſa latera.

Tertiò, cùm fluiditas materiæ nihil aliud ſit præter motum exiguiſſimarum ejus partium diverſimodè agitatarum, ſimulac illam diviſero, & illâ ratione agitavero, flui-

dam illam reddam, quantumvis nunc dura ſit.
Præter hæc, ſpatium illud quingentorum milliarium in orbem, quod delineavi, ad con-



ficiendum parvulum meum Mundum, jam fluidum factum, dividere contendo in viginti

S. Vortex Solis.

ti partes, vel in viginti Vortices, qui componentur ſinguli ex infinitis exiguis materiæ partibus inſenſibilibus.

Ut intelligas quid velim illo vocabulo Vorticis, imaginatione propone tibi ſpatium aliquod materiæ rotundæ, vel ellipticæ, quam divido in mille, vel decem mille partes. Illas exiguas partes tot eſſe verticilla, quæ rotari facio ſingula ſuum circa axem, vel ſuum centrum, quæque ſimul etiam gyrari facio circa centrum iſtius ſpatii rotundi, vel elliptici; atque hoc eſt id, quod Vorticem adpello.

Opus eſt tandem, ut concipias unumquemque Vorticem, tamquam cœlum quodpiam, in cujus centro ſidus vel ſtella fixa formabitur. Atque adeò, cùm ab initio viginti facio Vortices in hoc ſpatio, quod mihi præſcripſi, viginti ſtellas fixas faciam: verùm ex iſtis viginti ſtellis fixis miraberis, & voluptate adficieris, ubi vides unam tantùm remanere, quæ exhibebit noſtrum Solem: omnes reliquas partim Planetas, partim Cometas evadere; & ex viginti iſtis Vorticibus, unum tantùm etiam remanere magnum, qui Solis erit, in quo duo adhuc novi illique parvi formabuntur, qui nobis exhibebunt Vorticem veſtræ Telluris, & Jovis. Hæc ſufficiunt, aït, ad me ſeorſum ſuum ſermonem dirigens, ut te diſponam ad capiendum opus, quod exſecuturus nunc ſum. Reliqua quod ſpectat principia, & concluſiones, quæ in meâ conſpexiſti Phyſicâ, commodiùs illa tibi explicabo in exſequendo opere ipſo, prout occaſio exhibebitur.

Simul D. Carteſius, P. Merſennus, & ſenex meus ſeorſum tenderunt in tria diverſa ſpatii

loca, & prodigioſâ quâdam promtitudine materiam agitare cœperunt. Momento viginti illi Vortices confecti fuere, præditi ſinguli ſuo motu in diverſas partes determinato, ac tali modo diſpoſiti, ut poli unius Vorticis in eclipticam alterius terminarentur. Ita enim adpellat Carteſius circulum Vorticis a polis ipſius remotiſſimum.

Part. 3. Princip.

Quandoquidem plurimæ partes unius cujuſque Vorticis ab initio angulares adparebant, illæque circa ſuum centrum agebantur, magnus ſtrepitus excitatus fuit fractione angulorum, quæ neceſſariò ſequebatur conatum, quem adhibebant ſingulæ partes ad ſe movendum circa centrum ſuum. Atque hæc prima eſt animadverſio, quam mihi inſtituendam exhibuit D. Carteſius, ut mihi explicaret originem, & productionem trium Elementorum, quæ in ſuâ Phyſicâ diſtinguit. Videſne, inquit, quomodo ex agitatione materiæ oriantur neceſſariò Elementa, quæ adeò Philoſophis veſtri Mundi ſcandalo fuere? Ut ex cubo, vel quocumque alio corpore angulari, conficiamus corpus rotundum, quid aliud opus eſt, niſi ut demantur ejus anguli, & inæqualitates, quæ occurrunt in ipſius ſuperficie? Atque nonne hoc fit in motu, quem impreſſi omnibus illis exiguis partibus circa ſuum centrum? Poſſuntne illæ eâ ratione circumagi, quinſe mutuò radant; atque continuus ille ad invicem adfrictus nonne illas politas reddere debet multò adcuratiùs, ac ſi undique elaboratæ fuiſſent. Iſti exigui globuli componunt illam materiam, quam adpello ſecundum meum Elementum.

Part. 3. n. 52.

Verùm

Verùm intereà, dum anguli illi rumpuntur, vides, nec aliter fieri poteſt, excitari multò plurimum minutum pulverem longè minorem globulis ſecundi Elementi; atque illum exiguum pulverem adpello materiam primi Elementi. Tandem inter illas particulas primi Elementi, quantumvis exiguas, nonnullæ dantur aliis minùs parvæ; cúmque illæ non ſint niſi ramenta globulorum ſecundi Elementi, figuris præditæ ſunt admodum irregularibus, & multis angulis: quod in cauſâ eſt, cur ſe mutuò impediant, & maſſas conſtituant ramoſas & craſſiores, quas voco materiam tertii Elementi; atque en tibi tria mea Elementa, quibus, ut vides, rationem habui, cur dubitarem, opponi ne poſſet aliquid.

D. Carteſius deinde aliquot momenta obticuit, validiſſimè intentus dirigendo operi ſuo, & aptè moderando primos Vorticum ſuorum motus. Interea exiguæ illæ particulæ materiæ cujuſcumque Vorticis, crebrò rotatæ circa ſua centra, &, ad invicem adliſæ, paulatim poliebantur, & prout Globuli evadebant perfecti, e maſsâ ſuâ amittebant, & in magnitudine decreſcebant. Atque exinde occepi videre ſequelas regularum motûs, quas D. Carteſius initio ſuppoſuerat. Quippe quoniam iſti exigui globuli minorem ac antea occupabant locum, quoniam continuo motu in circulum agebantur, eorumque figura eos iſti motui admodum aptos reddebat, e veſtigio conſpexi illos e centro Vorticis recedentes, & circumferentiam occupantes, iſto conatu cogentes materiam primi Elementi, quæ per totum erat diſperſa Vorticem, relabi ad

centrum, atque ibi conflare maſſam quandam pulveris admodum tenuis, ſemper in gyrum acti, & adhibentis conatum ad circumferentiam occupandam, ex quâ globuli ſecundi Elementi eum ejecerant; verùm fruſtra, quia figura partium ſecundi Elementi eas ſuſtentabat, atque nihil aliud potuit primi Elementi materia efficere, quàm ut, ubi neceſſum foret, ſe inſinuaret in intervalla, quæ Globuli circumferentiæ Vorticis nonnumquam inter ſe relinquebant.


Iſta oblectatio, quam me percipere animadvertebat Carteſius ex ludo iſto, & illa facilitas, quâ gaudebam videndi, vel concipiendi omnia, quæ mihi præcipiebat, admodum ipſi placebat, adigebatque ut mihi explicaret aliquod ex curioſiſſimis Philoſophiæ myſteriis.

Vellem equidem, inquit, te hîc corpus tuum habere: cum majori voluptate fruereris iſtis mirandis ſequelis Principiorum, quæ poſui. Nihil in centro Vorticum vides, niſi collectionem pulveris, vel materiæ ſubtilis primi Elementi: verùm ſi corpore eſſes præditus & organis, aptis ad recipiendas impreſſiones iſtius collectionis pulveris, tot veluti Soles in eo conſpiceres. Imò, mi Domine, pergit, ille Sol, cujus toties miratus es ſplendorem & pulchritudinem in veſtro Mundo, re verâ nihil aliud eſt præter congregationem iſtius pulveris, ſed iſtius pulveris eâ ratione moti, quam explico in meâ Philoſophiâ, quamque nunc ipſe cernis.

Ut hoc intelligere queas, unum quid tantummodo mihi ſupponendum, quod negare

negare nolueris, & quod, neceſſum ubi foret, in Ariſtotele ipſo oſtenderem; ſcilicet viſionem non fieri niſi agitatione fibrillarum, ex quibus contextus eſt Nervus opticus; atque ab eâ agitatione eſt, quòd, ubi quis in caput duriter prolabitur, vel noctu ingrediens impingit capite in murum, confeſtim lumen conſpiciatur, & veluti accenſæ candelæ. Moleſtum eſt Phyſicis explicare modum, quo illa agitatio peragitur, quæ nobis exhibet omnia objecta luminoſa vel illuſtrata. Quodcumque ſyſtema condant, difficultates experiuntur inſuperabiles: verùm en tibi, quâ ratione id rè verâ fiat.

Videſne illam materiam primi Elementi, ut in gyrum agatur, & proinde conatum adhibeat ad recedendum a centro Vorticis, in quo verſatur: illius ope conatûs recedendi a centro Vorticis, in circulum illa protrudit materiam ſecundi Elementi, quæ omnem ejus occupat circumferentiam, eamque ad omnia, quæ imaginari eſt, latera compellit, quandoquidem nullum circuli punctum eſt, quem materia primi Elementi rotando deſcribit, in qoo non conetur recedere a cenrro, ubique per conſequens illa non protrudat globulos ſecundi. Cogita igitur, te cum corpore tuo in aliquo loco verſari circumferentiæ iſtius Vorticis, teque converſos habere in centrum oculos. Plurimæ ſunt lineæ materiæ ſecundi Elementi, quæ terminantur in fundo oculi tui. Quid accidit? iſtæ lineæ versùs circumferentiam protruduntur, & per conſequens contra fundum oculi tui ope materiæ ſubtilis, quæ eſt in centro, quæque conatur inde recedere.



Illa ſic protruſa premit fundum oculi tui, ita premendo agitat fibrillas nervi optici, unde ſequitur perceptio objecti; atque is eſt ex pulcherrimis meæ Phyſicæ locis, ubi contendo, naturam lucis conſiſtere in illo conatu materiæ ſubtilis recedendi a centro Vorticis, unde illa preſſio ſequitur, quæ producit delicatiſſimam & maximè miratu dignam noſtrarum ſenſationum.

Pergebat porrò mihi explicare omnes proprietates lucis, & demonſtrationes, quas dedit circa reflexionem radiorum, & refractionem. Prolixus fuit admodum in hâc materiâ. Iſte enim locus ejus Philoſophiæ cum eo, ubi Phænomena explicat Magnetis, præprimis ipſi placet. Non hæc omnia minutim tracto, ne moleſtus ſim Lectoribus meis, atque etiam ne nonnullos abſterream, quibus lineæ ſe invicem inter-

interſecantes, ut & A, B, C, metum incutiunt, eorumque nudus conſpectus par eſt eos cogendo librum claudere, & numquam denuò aperire. Quapropter quàm minimè potero iſtiuſmodi adhibebo.


Atqui neutiquam oblitus eſt mihi conſiderandas exhibere exiguas iſtas particulas ſtriatas, quarum tantus ipſi uſus, nec modum, quo illæ fiant. Inter particulas primi Elementi, quæ formantur e ramentis ſecundi, dantur nonnullæ, quæ ob figuram ſuam irregularem tanto motu non gaudent. Iſtiuſmodi facilè ſibi invicem implicantur, & formant parvulas maſſas majores aliis partibus primi Elementi; ac quia ſæpe coguntur tranſire in gyrum ſe rotando inter tres globulos ſecundi Elementi, illæ iſti tranſitui ſe aptant, atque egreſſæ comperiuntur habere figuram cochlearum, vel exiguarum columnarum ſtriatarum tribus ſtriis, ac intortarum in modum teſtæ cochleæ alicujus. Præcipuè reperiuntur versùs polos Vorticis, determinationem habentes versùs centrum. Jam quoniam unæ intrant polum Auſtralem, & aliæ polum Septemtrionalem, interea dum Vortex eodem tempore circum axem ſuum rotatur, omni Carteſiano manifeſtum eſt, illas, quæ veniunt a polo Auſtrali, debere eſſe ſtriatas diverſâ ratione, ac illæ, quæ e Septentrionali veniunt. Atque hoc D. Carteſius admodum mihi notandum exhibebat: ex eo enim primariò dependet vis, & virtus magnetis. Verùm non diu erit, dicebat, cùm conſpecturus es effectum particulare exiguarum illarum partium ſtriatarum.

Num. 90. *Num* 93.

Attende, quid fiat in illo Aſtro tibi proximo. Quo pacto nonnullæ ex partibus iſtis ſtriatis, quæ veniunt a polis ſui Vorticis, comperientes ſe miſtas materiæ iſtius Aſtri, ejuſque motui nequeuntes obſequi, extra Aſtrum ejiciantur, pari ratione ac partes ſpumæ liquoris bullientis ab aliis ſeparantur, & ſumma petunt. Vide quomodo ſibi invicem adhæreant, & quomodo unionis iſtius ope illæ perdant formam primi Elementi, & adſumant illam tertii. Ubi illæ ibi congregatæ erunt ſatis magnâ quantitate, manifeſtum eſt, ibi impedituras primi Elementi actionem, quâ globulos ſecundi repellit ad circumferentiam, & per conſequens infracturas conatum illum, in quo lux conſiſtit. Atque en tibi præcisè quid ſint illæ maculæ, quas nonnumquam conſpexiſti in diſco Solis veſtri Mundi. Nihil aliud illæ fuere, præter collectionem partium tertii Elementi, quæ per ejus ſuperficiem erant diffuſæ.

Porrò fragmenta iſtarum macularum, quæ perpetuò quidem formantur, verùm etiam facilè deſtruuntur æquè, ac formantur, longiſſimè ſe diffundentia per omnem circumferentiam Vorticis, ibi component corpus aliquod rariſſimum, ſimile aëri, qui veſtram
Num. 92. Terram ambit, ſaltem aëri illi puriſſimo; atque olim obſervavi, illum Vorticis veſtri Solis ad minimum ſe extendere ad Sphæram uſque Mercurii. Interea dum D. Carteſius hâc ratione omnia ſua mihi myſteria revelat, P. Merſennus, & ſenex meus ſemet oblectabant currendo de Vortice in Verticem; nec admodum optato conſortio erant Legatis Ariſtote-

lis,



lis, quibus omnino moleſti erant ſic ſe gerendo; quique nunc ipſis ſe adjungebant, nunc ad nos redibant, nec vel tantillum capiebant ex iſtis ineptiis Vorticum, primi, ſecundi, tertii Elementi, partium ramoſarum, &c: quippe cùm ideas tantùm haberent Peripatecas, nihil videbant omnino ejus, quod nos in magno illo ſpatio videbamus; ac ſummopere mirabantur, cùm nos audirent ſeriò diſſerentes de omnibus iſtis nugis, & chimæris: etenim hâc ratione accipiebant omnia, quæ dicebamus, adeò ut crederent, nos eos deridiculo habere; ac ſine dubio irati fuiſſent, niſi D. Carteſius iis indicâſſet, ſpiritus ſeparatos non concipere res, niſi ope relationis ad certas quaſdam ideas principales, quibus

ab initio imbuti fuerunt, ac ſicuti illi non videbant materiam in ſpatio, ubi nos illam videbamus diſtinctiſſimè, ita ipſummet numquam potuiſſe videre Formas Subſtantiales in corporibus, accidentia abſoluta, nec ſpecies intentionales, de quibus tamen Peripatetici loquebantur, veluti de iis, quæ viderent intuitivè.

Hæc dum gerebantur, ſenex D. Carteſium monuit, eo in loco, ubi degebat, tres vel quatuor Vortices incipere inter ſe confundi; ac, niſi quàm primùm remedium adhiberet, nihil ampliùs requiri ad totum Mundum ipſius peſſum dandum.

Bonus homo profectò eſt noſter ſenex, dixit mihi D. Carteſius: id, quod facit ut ipſe meo Mundo metuat, eſt unum ex pulcherrimis Phænomenis, quæ videre quis queat, ac cujus ope tibi intelligendum dabo, quâ ratione Cometæ in veſtro producantur, & quomodo ſtella quædam fixa evadere queat tractu temporis Planeta; liberemus ipſum moleſtiâ.

Reverâ comperiebamus illuc advenientes, eſſe duas ſtellas, quarum ſuperficies jam erat fere tota operta maculis, quarumque Vortices incipiebant jam abripi vel abſorberi a circumjacentibus. Quòd ſi legeris librum meum Principiorum, & tractatum de Lumine, di-
Num. 161. xit tum mihi D. Carteſius, conjicies quidem quò evaſuræ ſint exiguæ illæ turbæ; ac miror, ad ſenem converſus aït, id tibi metum potuiſſe incutere. In memoriam itaque revoca, me ibi docere, id quod Vorticem quendam conſervat in medio plurium aliorum, eſſe conatum, quem adhibet materia Aſtri ad

rece-

recedendum a centro verſùs circumferentiam: etenim Aſtrum illo conatu propellens & ſuſtentans materiam ſui Vorticis impedit, ne reliqui Vortices ſuos tranſgrediantur limites, atque ita ſemper ſibi conſervat ſpatium ſui cœli. Quippe omnes iſti Vortices pro tot quaſi hoſtibus ſunt habendi, qui inter ſe pugnant atque contendunt, & qui, quamdiu æqualibus pollent viribus, nihil damni ſibi mutuò adferunt: verùm ſi vires cujuſpiam debilitentur, tunc omnibus reliquis in prædam cedit, qui ſinguli partem quandam ſpatii ipſius occupant, & tandem integrum illud ipſi eripiunt. Jam verò, ſimulac Aſtrum quoddam incepit maculis obtegi, & cruſtis a collectione partium tertii Elementi, deſinit cum eâ, quâ ante, vi propellere materiam ſui Vorticis verſùs circumferentiam; atque tum alia, quæ illud cingunt, quorumque materia tendit ut recedat ab ipſorum centro quàm poteſt maximè, cum tantum motûs non offendant, nec per conſequens tantum reſiſtentiæ, in latum ſe extendunt, & materiam iſtius Vorticis debilem cogunt obſequi motui ipſorummet, ac paulatim ſingula ſuâ ex parte ſuperant. Atque adeò poſt aliquot momenta videbis iſtos Vortices ſuam augere circumferentiam cum damno miſeri illius Vorticis, uſque dum tandem perveniant ad Aſtrum, quod ipſis ludus futurum eſt: hoc eſt, deſcenſurum verſùs centrum alicujus ex iſtis Vorticibus, ut ibi dignitatem obtineat Planetæ, & cum illo Vortice rapiatur circa Aſtrum victorem ſuum; vel cogetur motu ipſi impreſſo e Vortice in Vorticem aſſilire, ac diu errare iſtâ ratione tamquam

Cometa, uſque dum iſtæ cruſtæ rumpantur: fieri enim poteſt, ut tunc ſuam recuperet dignitatem Aſtri, ac damnum ſuum reſarciat ex alio quopiam, cui ſuum eripiet Vorticem ſibi vindicandum.

Igitur per aliquot exſpectavimus momenta, & accidere conſpeximus, quod D. Carteſius prædixerat: omni Vortice abſorpto, materia unius ex Vorticibus proximis cingebat Aſtrum cruſtâ obductum, ipſique magnum imprimebat motum, ſtatim illud ſecum abripiens. *Part. III. Princip. n. 122.* Verùm quoniam illud Aſtrum ob ſuam ſoliditatem, quæ conſiſtebat, partim in figurâ ſuâ admodùm motui aptâ, partim in eo, quòd partes tertii Elementi, quibus obtegebatur, admodum contra ſe invicem premerentur, ac perexiguos poros in ſuperficie ſuâ relinquerent, quoniam illud Aſtrum, inquam, ob ſuam ſoliditatem majoris agitationis erat capax, quàm maſſa materiæ cœleſtis illud cingens & ſecum abripiens, cùm magnus paulatim ipſi motus eſſet conciliatus, momento minùs circumgyrando adeptum eſt extremitatem circumferentiæ Vorticis, & magno inde impetu erupit, motum ſuum continuans per tangentem circuli, quem inceperat deſcribere, atque adeò in alium quempiam tranſiit Vorticem, ac ab illo in alium, abſque quòd ſciverim, quid de eo factum ſiet. Etenim D. Carteſius interrupit attentionem, quam adhibebam ut ipſum ſequerer, ut mihi indicaret, id quod modò accidiſſe conſpexeram, ſæpiſſimè accidiſſe, ac fore ut accideret perpetuò adhuc in magno noſtro Mundo: & quod hic adpellamus Cometas, nihil [illegible] præ-

præter Aſtra, quæ ſuum amiſere Vorticem ſuamque lucem ob illam incruſtationem, quæ deinde e Vortice in Vorticem tranſeunt, nobiſque ſe oſtendunt eo tempore, quo noſtrum permeant ſolarem Vorticem, quæque non ampliùs videmus, ubi in alium quendam tranſierunt.

Vide figuram Vorticum, *pag.* 218.

Statim poſt deſtructionem Vorticis, de quo modò locutus ſum, ſeptem præterea alii eandem ſortem ſubierunt, & ſeptem novæ factæ ſunt Cometæ: poſt quæ Carteſius nobis dicit; e re eſt, quò meliùs capienda exhibeamus effecta, quæ ſunt ſecutura non multò pòſt, ut nomina demus præcipuis Aſtris, quæ reſtant: duodecim adhuc habemus, verùm octo tandem curemus. Hoc igitur, pergebat monſtrans nobis Aſtrum omnium maximum, maximoque præditum Vortice, adpellabitur Sol: alterum illud Saturnus: quod propè eſt a ſiniſtris, vocabitur Jupiter: a dextris, nomen habebit Martis: alterum illud nuncupabimus Tellurem: ipſi quod proximum eſt, dicetur Luna: exigua illa bina vocabimus, Venerem hoc, illud Mercurium. Statim etiam quatuor aliis ſua adſignabo nomina. Poſtquam conſideráſſemus per aliquod tempus admirandam illam diſpoſitionem omium illorum Vorticum, qui non obſtante eorum fluiditate nondum inter ſe erant confuſi (nec quiſpiam huic rei adhibuerit fidem, niſi ipſe conſpexerit, nec capere quis poterit, niſi merus ſit Carteſianus ſpiritus:) nullus enim hactenus Philoſophus capere potuit;


quâ

quâ ratione id poſſet fieri, vidimus Mercurium & Venerem incipientes maculis obduci, atque e veſtigio Vorticem Solis cum reliquis Vorticibus propinquis magnos progreſſus facere in iſta duo Aſtra: uſque dum tandem Cœlo ipſorum, vel Vortice planè abſorpto, deſcenderint in illum Solis quàm proximè ad centrum, & occeperint circa ipſum rotari, a materiâ ipſius Vorticis abrepta. Idem paulò pòſt accidit quatuor exiguis Aſtris, quorum Vortices confines erant Vortici Jovis, in quem fuerunt coacta deſcendere, atque eandem ibi fortunam ſubire, quam Venus & Mercurius in Vortice Solis. D. Carteſius ea vocabat quatuor Jovis Satellites, quandoquidem nobis exhibent quatuor Planetas, quæ circa Jovem rapiuntur in gyrum in noſtro Mundo. Tandem Tellus pari ratione Lunam devicit, & eam adegit, ut in gyrum circa ſe raperetur munere fungens Planetæ: id enim nominis datur iſtis Aſtris ordine motis, ob unicam quæ iis reſtat functionem, ſcilicet vagandi in Zodiaco, & æternùm in orbem gyrandi circa illa, quæ ipſa ſuo exuerunt Vortice.

Illa differentia ſtatûs ipſorum ab illo Cometarum nullam aliam cauſſam agnoſcit, præter diverſitatem, quam reperire eſt inter horum & inter Cometarum ſoliditatem: quippe cùm illa minori, quàm Cometæ, polleant, intrantia Vorticem qui ea recipit, in circumgyrando non adhibent motum ſatìs validum & violentum, ut e Vortice ejiciantur, verùm obſequuntur torrenti materiæ cœleſtis, cui immerguntur. Simili ratione, inæqualitas ſolidi-

liditatis, quæ reperitur inter plures Planetas abreptas eodem Vortice, efficit, ut unæ maneant aliis a centro remotiores, vel ab Aſtro, aliæ verò propiùs adcedant. Planeta enim deſcendit versùs centrum, quamdiu materia cœleſtis, quæ reperitur infra eam, majoribus quàm illa viribus gaudet, ad recedendum a centro illo; cùm alterum ex altero neceſſariò ſequatur, ex legibus motûs. Atque adeò quia Mercurius minùs erat ſolidus quàm Venus, ad Solem propius acceſſit, quàm Venus; & materia cœleſtis, quæ ſupra ipſum eſt, adegit eum deſcendere eâ ratione, quia illa majori quam ille vi pollet recedendi a centro; nec Venerem ad idem faciendum adegit, quandoquidem ſe comperiret cum Venere in æquilibrio, quæ ſuam ob ſoliditatem nec majori nec minori gaudet vi recedendi a centro ſui motûs. Verùm ut nonnumquam evenit in noſtro Mundo, ut ſcilicet parvis quibuſdam Principibus bellum ſibi invicem inferentibus, poſtquam aliquamdiu dimicârunt, & victores æquè ac victi hominibus & argento ſunt orbati, communis eorum & fortis hoſtis in eos irruat, & omnes eorum Status invadat: ita ſubita quædam accidit revolutio in Mundo D. Carteſii, quæ Jovem & Terram in eum reduxit ſtatum, in quem illi alia Aſtra redegerant, quorum deſtruxerant Vortices: utrique æquè ac Mars & Saturnus Planetæ facti ſunt, atque Sol ſolus & unicus Victor ſuum extendit Vorticem per omne ſpatium, quod reliqua omnia occupaverant, eaque coëgit cuncta circa ſe rotari.


D. Carte-



D. Carteſius nos docuit, quâ ratione id fieret, exemplo nonnullorum Vorticum, quos aliquando videmus in Fluviis, quorum magnus aliquis, qui ſæpe plures minores includit, exhibet magnum Vorticem ſolarem, & parvi exhibent Vortices Jovis, & Terræ. Exigui iſti abripiuntur motu maximi, & rotantur circa ipſius centrum, interea dum ipſi circa ſuum circumagunt, id quod in circumferentiâ ipſorum obviam habent, veluti paleas, exigua fragmenta ligni: ita Terra circumagit Lunam in ſuo Vortice, & Jupiter Satellites ſuos in ſuo.

Poſtquam tot egregia conſpexiſſemus, & adeò ingentem ſimilitudinem parvi iſtius Mundi cum noſtro, curioſitas nos movit adhuc

huc, ut ſpeciatim inquireremus in omnia, quæ ſpectant Planetam, quæ referebat noſtram Tellurem, quam habitamus. D. Carteſius autem nobis dixit, eſſe illud negotium plurium horarum, ſi vellemus videre omnia, quæ ſucceſſivè deberent peragi, ut eo in ſtatu poneretur illa Planeta, in quo nunc noſtra Tellus verſatur, ac deinde nihil nos viſuros accidere præter ea, quæ notaverat in quartâ parte ſui libri Principiorum, ubi deſcriberet formationem Telluris, talem qualem eam tunc temporis animo concipiebat. Præter illam materiam ſubtilem, ex quâ illa componebatur, quando adhuc Aſtrum erat, quæ materia in centro remanſit, & præter cruſtam quandam infinitè duram, quæ eam ibi includit, concipiebam ibi, nobis aït, quaſi tertiam quandam regionem compoſitam e partibus tertii Elementi, minùs arctè ligatis; ac præterea tertiam illam regionem dividebam in tres quaſi contignationes, antequam mihi imaginarer Terram eo in ſtatu, in quo nunc eſt, & in quo hanc poſiturus ſum.




I. Centrum Terræ plenum materiæ primi Elementi. M. *Cruſta interior, in quam numqnam fuit penetratum.* C. *Locus Metallorum.* D *Aqua* E. *Terra, in quâ ingredimur.* V. *Aër.* In-

Infima harum contignationum conſtabat ex meâ ſententiâ ex materiâ quâdam admodum ſolidâ, & admodum gravi, ac inde exiſtimo venire omnia Metalla. Secunda, quam illi ſuperponebam, erat corpus quoddam liquidum compoſitum ex partibus tertii Elementi, ſatìs longis, valde flexilibus inſtar anguillarum, mixtis cum magnâ quantitate partium ſecundi Elementi, quod nihil aliud erat præter id, quod nos Aquam vocamus. Tandem, ſupra hæc omnia tertium quaſi ſuppoſui fornicem conflatum ex particulis maximè motum impedientibus & maximè ramoſis tertii Elementi, cujuſque partes ſenſibiles erant tantùm lapides, arena, argilla, limus, verùm qui poris donatus erat plurimis ſatìs magnis; eſtque ille prima ſuperficies Terræ, in cujus parte homines ingrediuntur.

Deinde explicabam, quâ ratione in iſto fornice terræ, ob continuum in eam impetum factum materiæ duorum primorum Elementorum, quæ cum violentiâ per poros ipſius intrabant, initio plurimæ fiſſuræ & rimæ ſint actæ, quibus paulatim cum tempore auctis, ſubitò defecit, ac labefactata eſt; ita ut ejus rudera partim in aquam deciderint, quæ erat locata infrà in ſecundâ contignatione, eamque fecerint ſupra ſe emergere, quandoquidem iis levior erat; atque hæc eſt illa aqua, quæ Maria componit. Nonnullæ partes iſtius fornicis ſe ſuſtentârunt, & ſuſpenſæ manentes, ut ſæpe accidit in ruinâ magnorum ædificiorum, non ſubmerſæ fuerunt, atque illæ partes conſtituunt illos Campos, illaſque Planities terræ. Tandem nonnulla fragmenta cadentia

cadentia ſibi invicem innixa fuere, & ſupra reliqua elata, atque id effecit iſtas inæqualitates Terræ, quæ Montes adpellantur.




Vides igitur ſatis, perrexit D. Carteſius, multum requiri temporis, ut tibi oſtendam continuam ſeriem omnium illarum rerum: verùm hora abitûs tui adpropinquat, itaque te circa hæc minutiora ad librum meum remitto. Nunc omnes iſtos motus in compendium redactum eo, & tibi monſtratum in tantillo temporis momento illam Terram ſimilem veſtræ cum Montibus, Vallibus, Planitiebus & Maribus. Hoc dicto factum fere fuit citiùs. Occepit determinare motum infinitæ multitudinis partium illarum longarum & flexibilium tertii Elementi; atque eas in motum ciendo per partes ſecundi diverſis in locis, ubi eas congregaverat, vidimus e veſtigio quandam Maris ſpeciem diffundi per omnem illam Terram: facilius adhuc ipſi fuit Montes conficere congregando plurimas partes tertii Elementi ramoſas, quas invicem connectebat, quarumque diverſis locis craſſos & magnos cumulos faciebat, nihil habentes diverſi a no-

ſtris

ſtris Montibus. Illa Terra admodum erat inculta, ſine arboribus, ſine herbis, ſine floribus: quippe producere omnia illa, quæ pulcherrima Terræ conſtituunt ornamenta, res erat quæ nimium adhuc temporis exigeret.

Hiſce peractis reliquum, quod cum eo eramus, tempus impendit nobis conſideranda exhibendo duo. Primò cauſſam gravitatis, vel potiùs motûs corporum, quæ gravia adpellantur, versùs centrum Terræ: & ſecundò, modum, quo fiat fluxus & refluxus Maris. A primo incepit, idque nobis hâc ratione explicuit.



S, *Sol.* T. *Terra.* A B C D. *Exiguus Terræ Vortex.* N A C Z. *Magnus Orbis, in quo Terra abripitur circa Solem.*


Anim-

Animadverte, ait, illam Terram circumagi circa ſuum axem in Vortice ſuo: non illa ex ſe ipsâ hâc vi ſe movendi pollet, verùm abripitur curſu materiæ cœleſtis, quæ eam cingit, quæ circumacta majori rapiditate, quàm illa, quod ipſi ſuperabundat impendit variis aliis motibus in omnem partem peragendis, ac præcipuè urgendis & premendis corporibus terreſtribus contra Terram; preſſione adeò neceſſariâ, ut, niſi illa fieret, omnis Terra in fragmenta diſſiliret, atque omnes homines cunctaque animalia, quæ in terrâ tui Mundi reperiuntur, in ſpatium fluidum conjicerentur juxta magnum meum principium motûs, ſcilicet quod fert, omne corpus in gyrum actum, ut eſt Terra cum omnibus quæ continet, a centro recedere ſui motûs, niſi impediatur ab aliis corporibus ipſum remorantibus, ut facit hæc materiæ cœleſtis preſſio.

Ac eandem ob rationem corpus aliquod terreſtre in aërem protruſum cogitur deſcendere versùs centrum Terræ, quandoquidem minori gaudet vi recedendi a centro, quàm maſſa aëris, quam deberet facere deſcendere, ut in ejus adſcenderet locum; ac minori vi gaudet recedendi a centro, quia continet multò plus materiæ tertii Elementi & multò minus ſecundi, quàm maſſa aëris ipſi æqualis magnitudine. Jam verò materia tertii Elementi exiguam vim habet recedendi a centro, & ſecundi plurimam habet: oportet igitur, ut illud corpus deſcendat. Nec, adjungit, qualitas ulla Peripatetica, nec Atomorum catenæ hamis præditorum Democriti & Gaſſendi tantum valent, quantum quæ nunc tibi

tibi dico, ac ſimul lapidem in altum projecit, ut nobis experientiâ oſtenderet, quidquid modò docuerat.

Deinde progreſſi fuimus ad Fluxum & Refluxum Maris. Ut eum meliùs intelligeremus, cogitandum nobis dedit 1°. Vorticem Terræ eſſæ figuræ ellipticæ. 2°. Illam ex ipſius Diametris, in quâ Luna reperiri deberet plena vel nova, eſſe omnium minimam. 3°. Centrum Terræ non eſſe centrum Vorticis, verùm eſſe illud paulò ab eo remotius propter Lunam, quæ, quâcumque in parte circumferentiæ Vorticis reperiatur, ſpatium quod in-



ter ipſam & Terram eſt, anguſtius reddit, & per conſequens impedimento eſt, ne materia cœleſtis ita liberè inter utraque interfluat; unde ſequitur Terram, cui locus non eſt determinatus niſi ab æqualitate virium, quæ ab omnibus

I. *Figura Vorticis Terræ.*

omnibus illam premunt partibus, debere paululùm recedere verſùs partem Vorticis oppoſitam Lunæ. 4. Cùm materia cœleſtis, quæ multò rapidiùs circumagitur, quàm Terra & Luna, reperiat tranſitum inter utraque peranguſtum comparatum cum eo, quem antè occupaverat, neceſſum eſſe, ut ejus celeritas illo in loco augeatur, & premat ſimul magnâ cum violentiâ ſuperficiem Aëris & Aquæ; & tandem æqualis preſſio fiat fere in oppoſitâ parte Vorticis, eandem ob rationem, & Terræ propter receſſum.

Statim nos fecit ut agnoſceremus veritatem omnium illorum Principiorum, & effecta, quæ naturaliter ex iis ſequebantur. Etenim, cùm collocâſſet Lunam in loco quodam perpendiculari ad Æquatorem Terræ, vidimus ſimul, 1. Mare preſſum ab iſtâ maſſâ inferius ſidere, atque illius aquas ita preſſas & protruſas, curſum inſtituere cum rapiditate versùs polos, & ſucceſſivè ſe diffundere in littora, prout erant remota ab Æquatore. 2. Globo terreſtri circa axem ſuum rotato ab Occidente in Orientem, videbamus preſſionem Lunæ fieri etiam ſucceſſivè in diverſis locis Maris juxta ordinem Meridianorem. 3. Iſta preſſio ſucceſſiva diverſarum partium Maris, neceſſarium producebat effectum, ſcilicet ut Mare adſcenderet & deſcenderet diverſis in locis juxta regulas evidentes Staticæ: idque nobis ſuppeditabat ideam adcuratiſſimam & maximè naturalem fluxûs & refluxûs Maris, qui in eo conſiſtit, quòd nunc adſcendat, nunc deſcendat, ac in uno loco adſcendat, dum in altero deſcendit; omneſque illi motus regulari-

ter fiunt poſt invicem ſucceſſivè, & ſpatiis temporum fixis.

Præterea, quoniam Diameter Vorticis, in quâ parva Luna debebat reperiri in conjunctionibus, & in oppoſitionibus, omnium erat minima, & contrà illa, in quâ debebat reperiri in quadraturis, erat maxima, evidens nobis erat, preſſionem & ſubſidentiam aquarum debere eſſe multò majores in conjunctionibus, & in oppoſitionibus, quàm in quadraturis; & per conſequens, Mare debere tunc temporis diffundi cum majori impetu, & vehementiâ in littora, hoc eſt, æſtus debere multò majores eſſe in novis & plenis Lunis, quàm aliis temporibus; & in Æquinoctiis, quàm in Solſtitiis, ut reverâ evenit in noſtro Mundo.

Deinde nobis exhibuit omnia Phænomena particularia fluxûs & refluxûs iiſdem principiis innixa, ac præ primis nos notare fecit rationem, ob quam non videamus fluxum & refluxum in lacubus & ſtagnis, quantumvis magnis, niſi aliquâ ratione aquas ſuas cum Mari communicent. Quia, inquiebat, illi lacus & illa ſtagna, ſi ultra Tropicos exſiſtunt, numquam a Lunâ premuntur, & quod attinet ea, quæ ſunt ſub Zonâ torridâ, inter Tropicos, non tantas Terræ partes obtegunt, ut una pars ſuperficiei ipſorum umquam multò magis prematur, quàm altera a Globo Lunæ. Jam illa inæqualitas preſſionis eſt unica cauſſa iſtius motuum viciſſitudinis, quem fluxum adpellamus & refluxum.

Iſthæc explicatio magnopere mihi adridebat; atque iſte modus rationem reddendi fluxûs

fluxûs & refluxûs adeò commodus eſt, ut illi, qui Carteſio demonſtrant Terram non poſſe habere Vorticem, vel ſaltem Vorticem ellipticum, hujus ergo deberent ſe paulò indulgentiùs erga ipſum gerere: verùm Philoſophi miri ſunt homines, nec nôrunt ſuis adverſariis parcere.

Interea omnes reliqui motus in exiguo hoc Mundo accidebant cum omni poſſibili concinnitate. Mercurius, Venus, Mars, & alii Planetæ, ſemel ubi locum ceperant ſuum in Vortice Solis, exactè iter ſuum proſequebantur. Incipiebant vapores eievari, & formari nubes circa parvam illam Terram. Denique omnibus iſtis prodigiis quaſi præſtigiis incantabar; verùm abitus erat parandus, tempus urgebat. Jam fere viginti quatuor horæ erant elapſæ, ex quo noſtram Tellurem liqueramus, & D. Carteſius, qui, ut alibi dixi, numquam probavit eos, qui corpora ſua aliâ de causâ quàm morte relinquerent, & juſſu Supremi Entis, nobis ipſe conſilium dabat, ut differremus noſtram curioſitatem in aliud tempus: oſtendebam ipſi, quantopere agnoſcerem omnia ejus in me beneficia, exiſtimationem, in quâ ipſum habebam, ejuſque doctrinam. Rogavi ut permitteret mihi, quò proponerem ipſi ſcrupulos, qui mihi ſuper ſuâ Philoſophiâ in poſterum poſſent oboriri, ubi occaſionem nanciſcerer meas epiſtolas ad ipſum mittendi. Ille contrà mille amicitiæ ſpecies exhibuit, hortatus eſt, ne umquàm aliquid antiquius haberem præter veritatem; ac tandem mihi obtulit duo vitra hyperbolica, ut Teleſcopium inde conficerem,

Carteſ. Epiſt. cujus ope mihi promiſit, e Terrâ me viſurum omnia, quæ in Globo Lunæ fiunt, imò etiam animalia, ſi forent ibi. In ſuâ Dloptricâ oſtendit excellentiam iſtius figuræ pro vitris Teleſcopii, ratione habitâ omnium aliarum. Statuerat etiam in Hollandiâ ea ut fierent curare, atque novam invenerat machinam eum propriè in finem: ſed non potuit reperire Artifices ſuum ſcopum exſequi aptos, ſuamque ideam cum neceſſariâ adcuratione. Deducecebat nos ad ſecundum uſque Cœlum, quod eſt Stellarum, ac P. Merſennum nobis concedebat viæ ducem ad uſque noſtrum Mundum.

Ad aliquam diſtantiam a ſtellis, bini Legati ex Ariſtotele, Philoſophis obviam facti, cum quibus notitia iis interceſſerat, & ex eâdem ortis regione, rogârunt, ne indignè ferremus illis ſi ſe jungerent, veniamque a nobis petierunt admodum mediocriter contenti de itinere ſuo, & ſuâ negotiatione. Quandoquidem magnopere feſtinabamus, in itinere non morabamur, & cum nemine colloquebamur, licèt variis in locis offenderemus plurimos Spiritus, qui lubenter nobiſcum ſermones commutâſſent. Inter proficiſcendum P. Merſennus mihi notandam exhibuit diſpoſitionem Vorticum. & ſitum diverſorum Elementorum eos componentium, ac præprimis globulos ſecundi Elementi, quos non percipiebam, ubi adhuc habebam ideas Peripateticas; quoſque nunc clarè videbam occupare maximam partem ſpatii, poſtquam Carteſianus eſſem factus. Paulò minùs ſex horis ad meam domum rediimus, ubi valdè magnum

mihi

mihi accidit infortunium; ſcilicet dum admodum citò ingredior, non cogitans habere me duo illa vitra Teleſcopica Carteſii, dumque per murum mei cubiculi tranſeo, iſtaque vitra utpote corpora eum tranſire nequeunt, ibi ſubſtitere, & in mille fragmenta diſſiluere præ rapiditate quâ in murum impegerant, atque ita privatus fui voluptate inſtituendi experimentum, de ſucceſſu cujus D. Carteſius mihi ſpoponderat, ſcilicet videndi e noſtrâ Terrâ quidquid in Globo Lunæ ageretur non minùs diſtinctè, quàm ſi ipſemet ibi adeſſem præſens.

Corpus meum comperiebam paulò debilitatum, & admodum inflammatum jejunio pluſquàm triginta horarum. Antequam eò intrarem, expetivi ab Æthiopulo, ut meum cerebrum in antiquum ſuum reponeret ſtatum metuens, ne quid in eo corrupiſſet organorum: etenim vel tantillum opus eſt in illâ noſtræ machinæ parte ad producendas ingentes mutationes in mente hominis; ac egregiè mihi verba data comperiſſem, quòd ſi, poſtquam meo me corpori conjunxiſſem, factus fuiſſem ſtultus; verùm malignus ille ſpiritulus nihil ejus facere voluit, adfirmans me ſatìs ipſi eſſe obſtrictum, quòd meas rectificâſſet ideas. Opus itaque fuit eo contentum eſſe, & poſtquam gratias egiſſem P. Merſenno, & ſeni meo pro favore quo me proſecuti fuerant in eo, quòd me comitem tam pulchri itineris adſumſiſſent, anima mea corpus ſuum ingreſſa eſt, nec defuit, quin, ut decebat animam Carteſianam, locum ſibi eligeret pinealem cerebri mei glandulam.

Rogaveram P. Merſennum me adficeret eo hono-

honore, ut me reviſeret, antequam ad Mundum D. Carteſii rediret, ut ipſi poſſem dare epiſtolam gratiarum actionis ad magnum illum Philoſophum, qui me tantâ cum bonitate & tam honeſtè exceperat; promiſit id mihi, & reverà rediit ſub finem menſis, quem degit in hoc Mundo partim ad obeunda nonnulla a D. Carteſio ipſi commiſſa negotia, partim in variis Planetis, & variis in locis magnorum iſtorûm ſpatiorum, ubi nonnullos antiquos Carteſianos quæſitum ibat nomine iſtius Philoſophi, ut ipſis indicaret locum ubi degeret, & magnum illud propoſitum, ad quod ad exitum deducendum erat paratus. Dabam ipſi epiſtolam, quam adjunxi huic narrationi, & quâ illam ſum finiturus.

ITER

ITER PER MUNDUM CARTESII.

PARS QVARTA.

ANima mea locum ſuum cùm cepiſſet in glandulâ cerebri mei pineali, inſtar Reginæ in ſuo throno, ut inde regeret & dirigeret omnes motus machinæ mei corporis, admodum ſibi gratulabatur de mutatione idearum ſuarum, ſibique ipſi etiam plauſum dabat ob novellam dignitatem Carteſiani, quam incipiebam gerere inter Sapientes. Statim ita me diſpoſitum ſenſi, ut omnes poſſem & geſtus & actiones exprimere Sectæ iſtius Philoſophorum. Non ampliùs niſi cum contemtu loquebar de Philoſophiâ Collegiorum; quæ nihil præſtat, inquiebam, niſi ut mentem corrumpat, eamque inanibus & confuſis ideis impleat, apta ſolummodo fovendæ vanitati inſulſæ ineptæque. Carteſius primus erat, atque etiam ſolus Philoſophus, qui umquam in Mundo fuerat, omnes reliqui infantes præ illo erant, vitilitigatores,

& nugarum prædicatores. Invitatus aliquot diebus pôſt ad Theſes quaſdam Philoſophicas, magnam mihi vim facere debui, antequam adducerer, ut eò irem. Nec iis interfui niſi oſcitans, & ex faſtigio mentis meæ proſpiciens cum commiſeratione omnia, quæ dicebantur. E primis mihi negotiis fuit ordine movere in Bibliothecâ meâ, Suarezios, Fonſecas, Smigletios, Goudinos &c., eam iis, in quâ ibi verſabantur, conſpicuam dignitatem auferre, eoſque relinquere in abjecto quodam loco arbitrio pulveris & vermium, atque in eorum locum ſubrogare D. Carteſii opera, compacta in pulcherrimo corio caprino Orientali, ut & omnium ejus diſcipulorum.

Antequam Carteſianus eſſem, adeò eram delicati ingenii, ut ne quidem potuerim videre pullum trucidari: verùm poſtquam ſemel eſſem perſuaſus, beſtias nec cognitione, nec ſenſu gaudere, cogitabam urbem, in quâ degebam, omnibus canibus orbare, ad inſtituendas diſſectiones anatomicas, quibus ipſe operam dabam, abſque ullo ſenſu commiſerationis; imò etiam in exordio colloquiorum & congregationum Eruditorum, quas in animum inducebam in meâ domo habere, ut famam conciliarem mei præceptoris doctrinæ, eamque evulgarem in omnem regionem, prima quam habui declamatio fuit invectiva contra ignorantiam & injuſtitiam iſtius Senatoris Areopagitici, qui fecit ut decerneretur ineptus, qui umquam ſederet ad gubernacula Reipublicæ, puerum quendam ex primoribus, quem delectari viderat eruendis oculis cornicibus ipſi datis, ut cum iis luderet.

Inte-

Interea fatendum eſt bonâ fide, quantumvis confidentiſſimus eſſem Carteſianus, ab illo ſtatim tempore magnos ſenſi ſcrupulos, quos mihi injiciebant induſtrii nonnulli homines in meis colloquiis. Percipio etiam, quò ulterius progredior, eò magis augeri; & niſi D. Carteſius ſedet morſus meæ conſcientiæ reſponſione adcuratâ & præciſâ ad epiſtolam, quameâ de re ad ipſum ſcripſi, valde mihi metuo, nequid veſtigia mei cerebri immutentur, & ſpiritus animales priſtinum ſuum, quem ibi peragebant curſum, repetant. En exemplar illius Epiſtolæ, quam dedi ad Carteſium, quæ continet præcipuas illarum difficultatum, quas non indignas judicavi, quæ in Publicum prodirent.

Epiſtola . . . . ad D. Carteſium.

MI DOMINE.

NOn poſſum condignè agnoſcere honorem & a te in me collata beneficia pauculo illo tempore; quod degi in regionibus tuis tertii Cœli. Quantumvis exiguas dotes in me agnoveris, me excepiſti tamquam primariæ dignitatis hominem. Mundum integrum condere coram me: ipſummet operam dare mihi intelligendum exhibendo omne artificium & omnia organa admirandæ adeò machinæ, eſt eum honorem mihi exhibere, qui in ſuo genere ſuperat illum, quo Rex adficit Principes, Legatos, & Magnates

 exte-

exteros, ubi jubet, ut coram ipſis omnes Verſaliis aquæ curentur proſilire. Potes profectò poſt hæc omnia exiſtimare, me totum tuum eſſe; ac cùm te dominum reddideris meæ mentis ſublimibus illis cognitionibus, quas cum illâ communicât, adhuc fortiùs deſtinxiſti tibi meum cor neumque animum iſtâ ſupravulgari bonitate, quam in me congerſiſti.

R. P. Merſennus, qui hanc perferendam ad te ſuſcepit epiſtolam, adhuc te certiorem redditurus eſt de verâ meâ ſententiâ, & de te ipſo, & de doctrinâ tuâ: Modus, quo me geſſi poſt reditum meum, ipſi fortiſſimè perſuaſit, te numquam habuiſſe majori zelo diſcipulum adfectum erga honorem & augmentum Sectæ, quàm ego adfectus ſum. Nondum menſis eſt, ex quo e tuo Mundo redux ſum, & interea terrorem ſparſi per omnem hujus regionis Peripateticiſmum. Nonnullis paucis Carteſianis animum erexi, qui hîc adhuc reperiuntur, quique vivebant in obſcuritate & ſilentio, contenti veritate frui, nec præterea curantes, ea cognita ut redderetur hominibus, qui initio illam malè receperant. Collegia habentur apud me bis in ſeptimanâ, ubi operam do quam poſſum maximam conciliando famam doctrinæ tuæ: jam aliquot victorias retuli de Peripateticis, quorum plurimi non deſunt, quin eò adveniant, & exceptis duobus vel tribus, quorum inſuperabilis eſt pertinacia, omnes quantocyus mihi adjungam, ubi iis exhibuero ſolutionem nonnullarum difficultatum ſatìs egregiarum, quas mihi propoſuerunt ſuper diverſis Philoſophiæ tuæ quæſtionibus. Præcipuæ illarum

rum ſpectant conſtitutionem generalem tui Mundi. Et quoniam in illâ materiâ contendunt tuas concluſiones evertere propriis tuis Principiis, & nonnulli inter ipſos homines ſunt ingenio praediti, qui ſuis argumentis ſpeciem aliquam conciliant, adeò ut nonnumquam negotium mihi faceſſat detectio erroris ipſorum: credidi me debere recurrere ad oraculum, ac meliùs non poſſe me gerere, quàm ſi te conſulerem ipſum, ut mihi permiſiſti, ac te orarem, ut tua ſuper iis cogitata mecum communicares, quàm poterit fieri citiſſimè. Iter e tertio Cœlo ad hanc regionem obeundo non par eſt tuus Æthiopulus. En igitur fere, quâ ratione illi hic argumentati fuerint.

Initio mihi propoſuerunt duo vel tria argumenta obſoleta, quæ adhibentur quotidie in Claſſibus, ad refellendum tuum Syſtema, & demonſtrandum meram eſſe chimæram, quæ non poteſt defendi etiam tamquam ſimplex hypotheſis, admittendo Principia, quæ ipſemet ponis. D. Carteſius, inquiunt, ſupponit primò, Deum creare materiam; ſecundò, dividere in infinitas exiguas partes cubicas; & tandem, determinando diverſas magnas partes iſtius materiæ, eas in gyrum agere, & ſimul facere, ut parvæ illæ partes cubicæ, ex quibus magnæ iſtæ, quas tum Vortices adpellat, compoſitæ ſunt, rotentur circa proprium ſuum centrum. Jam, impoſſibile eſt, adjungunt, concipere diviſionem, & motum materiæ in ejus Principiis.

Etenim, diviſionem quod ſpectat, nequit illa concipi niſi duobus modis, vel imaginan-

do vacua intervalla inter diviſas partes; vel concipiendo intervalla illa nonnullis repleta corporibus, vel materiâ quâdam diverſæ naturæ ab illâ partium. Hâc ratione, licèt omnia plena ſint in Mundo, concipimus quatuor Teſſeras ſibi invicem propinquas, tamquam quatuor corpora cubica diſtincta, quandoquidem, licèt nullum vacuum inter ipſas ſit, tamen ibi percipimus exiguum quoddam intervallum aëre repletum, quod impedimento eſt ne illas concipiamus ut unicum corpus: verùm juxta principia Carteſianiſmi, res concipi nequit nec hoc, nec illo modo: etenim vacuum ſupponi non poteſt inter partes diviſas, quandoquidem vacuum illo in Syſtemate eſt impoſſibile. Nec magìs ibi adeſſe poteſt concipi corpus diverſæ naturæ, quandoquidem differentia corporum ſecundùm Auctorem ſyſtematis non reperitur niſi poſt agitationem, & motum materiæ. Illa igitur diviſio eſt chimæra quædam.

Motum quod attinet, multò pejus ſe habet, quâ enim ratione quis concipiat, omnes illas partes cubicas, quæ omnes duræ ſunt, impenetrabiles, & compreſſionis incapaces, poſſe circa ſuum centrum rotari; & frangi, quin jam exſiſtat, vel fiat aliquod vacuum? etenim exiguitas huc nihil facit, cùm, quantumvis exiguæ ſint, duræ tamen ſint & impenetrabiles, & omnes ſimul concurrant ad reſiſtendum motui ſingularum in ſpecie. Hæc hypotheſis igitur non poteſt defendi, & Carteſius vel a primâ ſuâ propoſitione remoram offendit.

Fuerunt hi, mi Domine, primi impetus in me-

me facti, & primæ difficultates, quas ſolvendas habui ſuper Syſtemate tui Mundi. Petitæ illæ fuerunt ex libris induſtriorum cumprimis hominum; ac ſicuti Dominis Diſcipulis tuis mos eſt & methodus, ſemper ſolitam ſuam viam inſiſtere, tantummodo expoſitionem & probationem ſuæ doctrinæ dare, non admodum adparentes curare objectiones, quæ ipſis poſſent fieri; cùm non cogantur reſpondere in ſcholis, iſthæc argumenta vulgò habita pro argumentis ſine reſponſo, & quæ vel ab introïtu diſputationis omnem ad incitas redigerent Carteſianum; verùm quò magìs invincibiles videbantur ob illa tam valida arma mei hoſtes, eò majorem mei excitabam exiſtimationem, eos proſternendo, & armis exuendo.

Quandoquidem adcuratè legeram opera tua, ut præprimis librum Principiorum, illumque cui titulus: Tractatus de Lumine, vel Mundus Carteſii: ad primum argumentum reſpondi tantummodo falſi inſimulando illam diſtinctionem momentorum, quæ videbantur poni inter diviſionem & motum, ac ſi tu adſeruiſſes, Deum primo quodam momento diviſiſſe materiam, & ſecundo eam moviſſe; dixi, numquam te ſuppoſuiſſe, materiam ante motum fuiſſe diviſam: modum, quo tu propoſuiſti Syſtema tuum in tertiâ Principiorum parte, non ſupponere ullâ ratione illam diſtinctionem, ac in tractatu de Lumine cap. 6. ubi deſcribis formationem Mundi, te poſitivè dicere contrarium, admonentem Lectorem tuum, illam diviſionem materiæ non conſiſtere in eo quòd Deus ſeparârit ejus par-

tes eo modo, ut inter illas vacuum daretur, omnem autem diſtinctionem, quam tu ſuppoſuiſti Deum in eâ feciſſe, conſiſtere in diverſitate motuum, quos ipſis dedit, efficiendo ut a primo momento creationis ipſarum unæ occiperent in hanc partem ſe movere, in aliam aliæ, &c., adeò ut hâc occaſione diviſio & motus eſſent eadem res, vel ſaltem unum abſque alio non eſſet. Te primum fore qui fateretur, nihil abſurdius eſſe ratione habitâ tuorum Principiorum reliquorum, quàm ſi ſupponantur partes materiæ in quiete, & interea diviſæ, quandoquidem ſecundùm te, unio corporis alicujus duri, quale debemus concipere materiam ante motum, non conſiſtit niſi in quiete, quâ juxta ſe invicem fruuntur; ac porrò non difficilius eſſe captu, quomodo diviſio motu fiat, & ſimul cum motu, quàm captu difficile eſt, quomodo poſſim dilacerare folium aliquod chartæ illud dividendo in duo dimidiata folia, quorum unum in Orientem, alterum in Occidentem traho. E veſtigio aperui libros citatos, & iis oſtendi loca, de quibus erat quæſtio: conſenſerunt, & nihil, quod opponerent, habuerunt.

Verùm non tam citò finieramus circa motum materiæ, neceſſariò diſputandum fuit, placidè nihilominus & abſque calumniâ & vitilitigatione, quia plurimi eorum, cum quibus mihi res erat, erant honeſti homines & æqui, qui ſe dederent rationi. Quæſtio itaque erat de explicando modo, quo partes materiæ, quas concipimus eâ ratione contra ſe invicem preſſas, ut ne vel minimum admittarur va-

cuum in omni maſsâ, quas præterea ſupponimus duras eſſe, poſſint e quiete ad motum tranſire.

Poſtquam prolixè egiſſent de hoc argumento, rogavi illos, ecquid, ut erant Peripatetici planè, ſibi haberent bene perſuaſum, fluiditatem aquæ, exempli gratiâ, eſſe qualitatem quandam abſolutam; illam, ubi eſſet gelu conſtricta, eſſe duram ab accidenti quodam abſoluto, quæ durities adpellatur; & ſoluto gelu, eſſe liquidam ab accidenti abſoluto, fluiditate nuncupato. Unum ex iis accidentibus plumbum fundere, igni impoſitum; alterum figere, ubi incipit refrigerari; & contrà, ſi visâ ratione adcuratâ, naturali, intelligibili, quâ D. Carteſius naturam exponit fluiditatis, & proprietates corporum fluidorum motûs ope partium inſenſibilium iſtorum corporum (quem motum ſola diſſolutio ſalium in aquâ communi, & metallorum in aquis fortibus, evidenter demonſtrat) ſaltem non mutâſſent animum iſto ſuper articulo. Plurimi illorum mihi reſponderunt, in eâ, quâ verſabantur, perſuaſione, non poſſe nos carere qualitatibus abſolutis in explicatione Phænomenûm, velle ſe relinquere omnium lubentiſſimè fluiditatem atque adeò nolle ſe mecum nimis vitilitigare hâc in re.

Hoc ſuppoſito, inquam, mei Domini, ſatisfiet vobis brevi, vel magìs aqua hærebit, quàm ipſi Carteſio: quippe in veſtro Syſtemate Mundus eſt plenus, ac nullum datur vacuum, tamen motus fit ibi & continuatur; partes ſenſiles, & inſenſiles corporum

ibi

ibi moventur, non impedientibus eorum duritie & impenetrabilitate.

Quare materia D. Carteſii, quæ non eſt veſtrâ magìs impenetrabilis, non poteſt eodem frui privilegio? Quare ejus motus magìs erit impoſſibilis? Vos & nos eandem rem ſupponimus, nec habemus ampliùs quid agendum, niſi ut nos tutemur adversùs Epicureos, qui contendunt demonſtrare e motu neceſſitatem ſuorum exiguorum vacuorum inſenſibilium in omnibus corporibus diſſeminatorum. Illorum uti exiſtimatur demonſtratio huc redit. Ut corpus quoddam ſe moveat, opus eſt ut aliud quoddam e ſuo loco propellat: aliud illud inde nequit exire, quoniam non habet quò abeat, ſi omnia ſunt plena. Igitur motus erit impoſſibilis, niſi detur vacuum. Contrà, ſi vacuum datur in corporibus, poſſunt comprimi, & per conſequens cedere iis, quæ ipſa propellunt; atque ita motus fiet. Merum hoc ſophiſma eſt, cujus nos vobiſcum exhibebimus ſolutionem dicentes tantummodò Epicureis, ad concipiendum, quomodo motus fieri poſſit abſque vacuo, opus tantum eſſe, ut concipiamus, numquam corpus ſe ſolum movere; verùm eodem momento, quo corpus ſuum locum deſerit, aliud protrudere, quod eum occupat; ac ſimulac concipio, corpus poſſe eodem momento locum occupare ab alio relictum, perfectè concipio motum; in eo enim omne myſterium ſitum eſt.

Peripatetici mirabundi mihi videbantur, ubi viderent me adeò promtè concluſionem ita adcuratam deducere e principio, quod adeò liberaliter mihi conceſſerant, ac ſine dubio

bio ſuæ indulgentiæ pœnituit eos: verùm ego pergebam dicendo, me non cònari abuti, quam mihi exhibuiſſent, prærogativâ, licèt non niſi coacti evidentiâ veritatis; nolle, ut mihi objicerent, ſicut fortè jam apud ſe faciebant, me dolum adhibuiſſe, & facilitate ipſorum abuſum, ut eos in laqueum conjicerem; ac denique probabilem ſaltem me iis effecturum, propria juxta ipſorum priucipia, quam defendebam veritatem.

Habemus, inquam, mei Domini, in re ſubjectâ, præjudicia, quæ ex imaginatione magìs, quàm ex ratione proveniunt: Primò nobis imaginamur, corpus aliquod, quod nobis proponimus tamquam in medio materiæ Mundi, multò magìs premi, ſi illam materiam ſupponimus duram, quàm premeretur, ſi ſupponeretur fluida; hoc evidenter falſum eſt: quippe ſi Mundus plenus eſt, ſive fluida ſit illa materia, ſive dura, nec plus ejus, nec minus datur; atque æqualis ejus eſt quantitas in unâ, & in alterâ ſuppoſitione, ac proinde ejus partes non magìs premuntur, ubi ea ſupponitur dura, quàm ubi fluida. Secundò, perſuademus nobis ex eo quòd corpus aliquod ſit liquidum, ſemper aptum eſſe ad cedendum motui alterius corporis; ac contrà, ex eo quòd corpus durum ſit, nihil ipſi poſſe illam diſpoſitionem præbere ad cedendum, ſi aliis corpôribus duris cingitur. Primò falſitas adparet ex experimento perquam vulgari. Imple aquâ phialam vitream, cujus longum ſit collum, & ſatìs arctum, ſubverte illam perpendiculariter, aqua proprio ſuo pondere versùs terram compellitur: nullum aliud ſibi ob-

obviam in itinere habet corpus, præter aërem, qui eâ adhuc eſt liquidior: non obſtantibus tamen illo pondere, illoque conatu, quem aqua adhibet ut in motum redigat ſe, non impediente aëris liquiditate, quem infra ſe habet, motus ipſi eſt impoſſibilis, & aër ipſi non minùs reſiſtit, quàm corpus durum, quo phiala cum vi fuiſſet obturata. Quid igitur impedit motum Aquæ? Exinde eſt, quòd Aër & Aqua eo verſentur in ſitu, ut quemcumque adhibeat conatum Aqua ad ſe movendum, non poſſit Aërem determinare, nec aliud quoddam corpus ad occupandum ipſius locum eo ipſo, quo illum relinquit, momento: etenim ex quo illud poteſt, hoc eſt, ex quo paululum inclinaveris phialam cum motu aliquo, ac per conſequens exigua quædam linea aëris ſe poterit inſinuare ad latera aquæ, motus ſequetur proportione habitâ ſpatii, quod aër repleturus eſt. Igitur ſupponere non debemus, ex quo corpus aliquod eſt liquidum, ſemper diſpoſitum eſſe ad cedendum motui aliorum corporum: verùm etiam non magìs ſupponendum eſt, ex quo corpus aliquod durum eſt, & duris corporibus circumdatum, non poſſe diſpoſitum eſſe, ut moveatur, quod hâc ratione probo.

Supponamus Globum quendam cavum, perfectè plenum, partim aquæ, partim plurimorum corporum durorum omnis figuræ, diſperſorum ab omni parte in illâ maſsâ aquæ. Cogitemus omnia illa corpora quieſcere. Quoniam aqua replet omnia ſpatia, quæ ſunt inter illa exigua corpora, concipimus partes iſtius Aquæ omnis generis figurarum, ut ſunt ſpatia,

quæ

quæ replent. Ita concipimus in iſtis ſpatiis exiguos Aquæ globos, exigua triangula, exiguos cubos, exigua hexagona, &c. Supponamus nunc illlam Aquam, & omnes ejus partes agitari.

Cùm rationem habuimus figuræ partium Aquæ ante motum, facilè concipimus, omnes illas figuras mutari in momento motûs; hoc eſt, exiguos Globos aquæ in duo dividi Hemiſphæria, Cubos aquæ ſuos angulos perdere &c. Ex iſtis exiguis partibus, ſive duris, ſive liquidis, unas multum motûs recipere, alias parùm; & tandem omnes tali modo ſe invicem determinare, ut ne minimum quidem fiat vacuum, ac ſimul ubi una ex aliquo loco decedit, altera eodem momento eum ſubintret; atque hæc omnia facilè fiunt propter facilitatem, quâ præditæ ſunt Aquæ partes, ab invicem ſe ſeparandi. Ita in primo illo momento motûs concipimus, factam eſſe mutationem longè plurimarum figurarum: illam mutationem non eſſe factam, niſi fractione vel ſeparatione partium: illam fractionem factam eſſe motu, ac motum fieri non potuiſſe abſque illâ fractione: conatum, quem adhibuimus in motum concitandis iis corporibus, produxiſſe & motum & fractionem: fractionem alicujus partis eſſe productam immediatè ab aliquo ex corporibus duris, ſive ab aliâ parte aquæ; exempli gratiâ, angulum cubi alicujus non eſſe ſeparatum a reliquâ maſsâ, vel aliâ parte, cui adhærebat, niſi ope alterius partis quæ ſe inter binas illas mediam poſuit, vel quæ locum ejus adeò adcuratè occupavit, ut perfectè ſpatium reple-

pleret; & tandem unicam rem potuiſſe impedire fractionem & motum; hoc eſt, ſi partes eâ ratione inter ſe diſpoſitæ fuiſſent, ut unis ſuum locum relinquentibus, aliæ nequiviſſent eodem tempore illum occupare: cùm enim omnia ante motum plena ſint, e neceſſitate eſt, ut omnia ſint plena in motu.

Jam ſupponamus; omnem illam aquam, & omnia illa exigua corpora in eundem reponi ſtatum, in quo erant ante motum; & cogitemus in locum partium aquæ; quæ occupabant omnia ſpatia intra corpora dura, ſubrogari alia corpora dura, quæ præcisè ſpatia occupant, quæ occupabant partes aquæ; vel ſupponamus ſolummodo, aquam congelari, verùm abſque ullâ diminutione vel augmento maſſæ. Supponamus præterea, Deum conatum adhibere movendæ iſti materiæ, & eodem tempore operam dare dividendis omnibus ejus partibus præcisè eâdem ratione, quâ partes aquæ, quarum locum occupat, diviſæ ſunt in momento motûs. Nondum ſuppono motum, verùm tantummodo conatum ad eum producendum; nec ulla contradictio in iſto conatu eſt: contendo autem, ex illo conatu motum & fractionem debere neceſſariò ſequi, atque en tibi quibus utar argumentis.

Ex illo, quem ſuppono, conatu, ſequi debet motus & fractio, niſi aliquid impedimento fiet. Jam verò nihil impedit: diſpoſitio enim ad motum & ad fractionem eadem eſt in hâc hypotheſi, in quâ non niſi dura ſuppono corpora, quæ in præcedenti, ubi ſuppono

pono corpora liquida duris commixta; ac ſi oppoſitio adversùs motum & fractionem, quam nonnulli in ultimâ ſibi fingunt, invincibilis eſſet., invincibilis eſſet etiam in primâ.

Quippe, ſi in primâ hypotheſi corporum liquidorum mixtorum cum corporibus duris cogitemus partes eo modo protrudi & determinari, ut unâ in motum redactâ, altera nequiret ejus occupare locum eodem momento, concipimus fore, ut numquam fiat motus & partium fractio: ſicuti id evenit in experimento phialæ, de quo antè ſum locutus, quia, cùm omnia tum ſupponuntur plena, omnes partes ſimul reſiſtunt motui ſingularum. Verùm ſimulac concipimus, partes iſtius materiæ tali ratione propelli & determinari, ut ſi una moveretur, altera eodem momento ejus locum occuparet, & alia hujus denuò; tum concipimus, motum & fractionem debere infallibiliter ſequi impulſionem. Jam, in ſecundâ hypotheſi corporùm durorum, ſuppoſito Deum propellere & determinare partes illorum corporum præcisè eodem modo, quo partes aquæ fuerant determinatæ in primâ hypotheſi primo momento motûs & fractionis; evidens eſt, ubi una moveretur, alteram e veſtigio ejus occupaturam locum, quoniam præcisè propellitur & determinata eſt, velut illa aquæ illum quæ locum caperet. Igitur motus ſequi debet in ſecundâ hypotheſi, ac in primâ.

Omnis hîc in eo differentia ſita eſt, quòd partes aquæ cùm ſint diviſu facillimæ, non niſi exiguus requiratur conatus iis movendis;

dis; & partes corporum durorum cùm ſint diviſu difficiliores, opus conatu foret multò majori: verùm Carteſio, ſi lubet, licet, ſupponere illum infinitum; atque illa reſiſtentia, quam Deus reperiret, non eſſet omnium in genere partium contra diviſionem ſingularum; quam ſanè reſiſtentiam invincibilem deprehendimus in pleno etiam fluido: verùm tantummodo reſiſtentia unius cujuſque partis propriæ ſuæ diviſioni, quam concipimus diſtinctiſſimè non eſſe invincibilem.

Ut uno verbo dicam, motus & diviſio corporum durorum poſſibilis eſt in pleno, ex eo, quòd concipiamus diverſas partes illorum corporum propulſas versùs omnes partes imaginabiles ſpatii, eaſque concipiamus determinatas eo modo, ut ſi una moveretur, alia locum ejus repleret e veſtigio, abſqne hoc enim motus eſt impoſſibilis etiam in fluidis, & hoc poſito neceſſariò requiritur, etiam in corporibus duris.

Licèt hæc explicatio, iis dicebam, mihi vera videatur demonſtratio, non tamen peto ut illam pro tali habeatis: contentus ſum, ſi illa vos ſolummodo dubitare faciat de certitudine contrariorum argumentorum, quæ in illâ materiâ vulgò adhibentur; nec deſpero, poſtquam illam cum attentione examinaveritis, quin aliquantò plura mihi conceſſuri ſitis, quàm quæ nunc vos rogo.

Re verâ meis Academicis a me ſatisfactum videbatur; unicus tantùm fere iis ſcrupulus hærebat, qui conſiſtebat in eo quòd ſupponerent, in primo momento diviſionis te figuram cubicam dediſſe omnibus materiæ partibus.

Sem-

ſemper rebellem reddebat ea circumſtantia illorum imaginationem. Ad hæc iis dixi, modò vel tantillum vellent animum advertere ad ea, quæ ipſis modò explicueram, clarè viderent, illam circumſtantiam non efficere particularem difficultatem, verùm, ut eos planè omni moleſtiæ eximerem, me fidem ipſis facere, numquam te hanc ſuppoſitionem feciſſe: poſſe ipſos ex propriis verbis tuis de eo convinci: in libro Principiorum te nihil aliud ſupponere, niſi, partes materiæ non fuiſſe omnes rotundas; ac in Tractatu de Lumine, te iis adtribuere omnes, quæ ſub imaginationem cadunt, figuras. Indigitavi iis etiam ea loca. eoſque feci ut conſentirent de exiguâ fidelitate, vel exactitudine certorum Auctorum, qui ita tuam doctrinam exponunt pro ingenio ſuo, & modo ipſis maximè commodo, ad eam cum utilitate impugnandam. Denique tribus, ut ajunt, verbis tuam eâ de re iis explicui mentem, quam ſemper hujuſcemodi fuiſſe credidi; ſcilicet, Deum in primâ agitatione & diviſione materiæ feciſſe partes omnis generis figurarum, quas propulerat & determinârat in omnem partem, & in omnia ſpatii latera: ac exinde ex illis confeciſſe corpus quoddam liquidum, cujus poſtmodum ſumſit certas quaſdam magnas portiones, ut eas in gyrum ageret, & ex iis faceret Vortices, in quibus maxima pars exiguarum partium inſenſibilium eos componentium circa ſuum centrum rotabantur. Illo motu perpetuam inductam mutationem partibus materiæ, cùm unæ ſuos perderent angulos, aliæ inter ſe unirentur & cohærerent ſimul. Cum

te

te me credere, idem fieri ſingulis momentis inter partes inſenſibiles omnium corporum liquidorum; ac exinde te concluſiſſe exſiſtentiam & differentiam trium tuorum Elementorum. Audeo mihi polliceri, mi Domine, te non admodum malè contentum fore de meis reſponſis, & agniturum, quòd ſi inferior ſum plurimis tuis Diſcipulis ingenio & acumine judicii; vix dari qui me vincant attentione, quam tu exoptas, tui Lectores ut adferant ad lectionem librorum tuorum, antequam ſuum de iis judicium ferant, & præprimis antequam adgrediantur illos impugnare, vel defendere:

Verùm ut pergam rationem tibi reddere mearum congregationum: hæc, de quâ jam modò locutus ſum, duo effecta produxit. Primum, ut paululum noſtri Peripatetici revenirent a malâ illâ opinione, quam de tuâ doctrinâ conceperant, quam hactenus habuerant pro contradictionum plenâ, & abſurditatum, quæ omnino non poterant defendi, & pro Syſtemate, quod ſe ipſum ſubverteret. Alterum ut ſeriò operam darent duo vel tres ex ſubtiliſſimis, & maximo acumine præditis, lectioni, & examini librorum tuorum, ubi reverâ difficultates offenderunt, quæ mihi magnæ videntur, & ſuper quibus, ut tibi ab initio innui, cogor temet ipſum conſulere. Etenim fateor, quantumvis primo ſucceſſu elatus eſſem, aquam mihi hæſiſſe, & indigere me ſummo illo, quale tuum eſt acumine, & perſpicaciâ, ut memet his eripiam difficultatibus.

Noſtri iſti per binas hebdomadas mihi nihil contra tuam doctrinam propoſuerunt; & tres vel

quatuor congregationes, quas iſthoc temporis intervallo habuimus, elapſæ ſunt explicando tua dogmata, & reſolvendis nonnullis quæſtionibus, quas movebant mihi ſuper certis quibuſdam rebus ſingularibus in libris tuis, in quorum ſenſum non ſatis ſe penetrare, vel credebant, vel ſaltem credere fingebant. Erat id ſtratagema quoddam, quo utebantur, ut me in inſidias adlicerent: percipiebam equidem parvam illam conjurationem, quæ ſine dubio mihi aliquam creâſſet inquietudinem, cùm negotium mihi intercederet cum induſtriis omnino hominibus, niſi cauſſæ bonitas, quam defendebam, mihi animum erexiſſet. Tandem ante hos binos dies apertè ſuam expoſuerunt mentem, & promittentes mihi, vel minantes intra breve tempus ſe refutaturos maximam partem tuæ Metaphyſicæ, & Phyſicæ, dixerunt, velle ſe primò a Vorticibus incipere: ita enim caput tuum peti; & credere, ſuppetere ſibi argumenta eâ ſuper re, quæ eſſent evertendæ tuæ Phyſicæ radicitus.

Cùm tamen non minùs humani ſunt & honeſti, quàm induſtrii & acuti; & præterea erant perſuaſi, argumenta ſua admodum eſſe difficilia, ut moleſtiam & confuſionem mihi eximerent, quam prævidebant fore ut offenderem in iis ſolvendis, non me cogere voluerunt, ut e veſtigio ad ea reſponderem: verùm ſatis habuerunt ſcripto conſignata mihi ea exhibere, ut dato otio reſponderem: ſolummodo illa mihi legerunt, ut viderent ecquid caperem ſenſum ipſorum; ac fateor tibi, quantumvis magnificè me gererem, nihil-

hilominus magnas me iis habuiſſe gratias ex animo, pro iſtâ parvulâ indulgentiâ, quâ utebantur erga me: etenim non niſi per facta argumentantur, vel per principia verbotenus deducta e libris tuis, quos inter ſe opponunt, quoſque demonſtrant ſe invicem ſubvertere ratione quâdam adeò plauſibili, & veroſimili, ut Carteſius ſit oporteat, vel ſaltem me aptior, qui ad illa reſpondeat. Nunc deſcripturus ſum tibi præcipua ſcripti ipſorum contenta, & propriis quidem ipſorum verbis. Sequentem ipſi fecerant titulum.

Difficultates cuidam Carteſiano propoſitæ ab nonnullis Peripateticis adversùm Syſtema generale Mundi Carteſii.

PRimò, probare conamur, illum ordinem, in quem Carteſius materiam redigit, vel tria Elementa in ſuis Vorticibus, non poſſe ullo modo convenire cum præcipuis regulis motûs, quas ipſemet dedit, nec cum proprietatibus, quas ſingulis iſtis Elementis adſcribit. Ac exinde deducentur conſequentiæ quæ planè deſtruunt doctrinam ipſius de naturâ Lucis.

Secundò, oſtendemus, modum, quo lumen explicat, nullo modo poſſe ſubſiſtere cum illo, quo diſponit, non jam dicimus, Elementa ſua in ſuis Vorticibus, verùm illo quo diſponit etiam ipſos inter ſe Vortices.

Tertiò, probamus, in Principiis D. Carteſii,

teſii, Terram æquè ac reliquos Planetas non poſſe habere Vorticem proprium in Vortice Solis. Quo ſemel probato, omnis peſſum datur Carteſii Aſtronomia, & omnis œconomia Mundi ejus terreſtris planè ruinâ fatiſcit.

PRIMUM ARGUMENTUM.

1. Supponitur initio magnum illud Carteſii principium, omne corpus in gyrum actum ſingulis momentis conatum adhibere, ut recedat a centro ſui motûs, & circuli quem deſcribit.

2. Ex univerſali hoc principio immediatè ſequitur illa particularis conſequentia, ſcilicet in Vortice, ubi materiæ primi, ſecundi & tertii Elementi in circulum circumaguntur, omnes illas tres conari a centro Vorticis recedere.

3. Deducitur adhuc ex eodem principio altera illa concluſio, in communi conatu, quem adhibent diverſa corpora ita agitata, & inter ſe confuſa, ad recedendum a centro ſui motûs, ea quæ agitationis habent plurimum, & ad motum ſunt aptiſſima, ea, inquam, alia debere ſuperare, ſe collocare in circumferentiâ circuli, quem deſcribit Vortex, & per conſequens cogere minùs agitata, & ad motum ineptiora, quò versùs centrum deſcendant.

Quòd ſi hæc concluſio non gauderet neceſſario nexu, & viſibili cum principio, ut gaudet, ſufficeret, ut jure adhiberi poſſet, dicere, eſſe illam D. Carteſii variis in locis

ſuorum librorum, ac præprimis in quartâ parte Principiorum, ubi rationem reddit motûs corporum gravium versùs Terræ centrum, ex hâc ipsâ propoſitione. Quòd in Vortice Terræ corpora terreſtria ſint infra Aërem, & Aër infra materiam cœleſtem, non eſſe niſi virtute hujus principii.

4. Adjungitur adhuc alia, quam D. Carteſius crebrò repetit, præcipuè in tertiâ, & quartâ parte Principiorum, & Capite octavo Tractatûs de Luce. Scilicet, primum & ſecundum Elementum multò plus agitationis habere, multóque aptiora eſſe ad motum, quàm tertium Elementum, cujus partes ſunt ramoſæ & hamoſæ, & figuræ admodum irregularis.

Hiſce omnibus ſuppoſitis, largiamur D. Carteſio, materiâ creatâ eâ ratione, quam nobis proponit, Deum illam potuiſſe dividere, ipſique motum imprimere, ac reverâ eam diviſiſſe & moviſſe. Siſtamus gradum, & noſtram imaginationem figamus noſtraſque cogitationes in magnam illam materiæ portionem, vel in illum Vorticem, in cujus centro Stella polaris eſt locata. Concipiamus, illam portionem materiæ compoſitam eſſe ex infinitis exiguis partibus inſenſibilibus in gyrum actis, interea dum omnes illæ exiguæ partes etiam moventur proprium ſuum circa centrum.

Ex illo motu debent oriri tria Elementa; hoc eſt pulvis ſubtilis primi Elementi, exigui globuli ſecundi, & ramoſæ partes tertii, quæ omnes ſunt tantùm partes materiæ diverſæ inter ſe duntaxat figurâ & magnitudine ſuâ.

Sive

Sive tertium Elementum formatum ſit eodem tempore cum aliis reliquis, ſicut D. Carteſius aliquatenus id ſupponere videtur in ſuo Tractatu de Luce, ſive non ſit formatum, niſi junctione plurium partium primi Elementi, quæ ſibi invicem fuere impeditæ, ut videtur docere in libro Principiorum: vult ille Philoſophus, in illâ agitatione materiæ, poſtquam diu ſatis perduraverit ad rumpendos angulos maximæ partis partium agitatarum, materiam primi Elementi debere habere duo loca præcipua. Primum in omni ſpatio Vorticis, ubi debet diffundi ad exactè implenda omnia intervalla, quæ reperiuntur inter Globos ſecundi Elementi, ex quibus totum corpus Vorticis, vel Cœli componitur; ſecundum in centro, quò illa oportet cogatur deſcendere a globulis ſecundi Elementi, ut ibi conſtituat corpus quoddam ſphæricum, quod nihil aliud eſt, niſi ipſa ſtella, quæ agitatione ſuæ materiæ in gyrum, & conatu, quem adhibet illa materia ad recedendum a centro Vorticis, in quo reperitur, ſecundi Elementi globulos, quos ſupra ſe habet, propellit ab omnibus, quas concipere eſt, partibus, & communicando illorum ope illam impreſſionem cum noſtris oculis, in iis producit ſenſationem Luminis.

Atque en omnem illam pulchram doctrinam Carteſii hâc ſuper re. Verùm conamur ipſi demonſtrare ex poſitis principiis, quæ ipſius ſunt omnia, non eſſe materiam primi Elementi, verùm materiam tertii, quæ debet centrum conſtituere Vorticis; atque adeò Stellas non debere eſſe lucidas, nec magis

Solem, omnes autem debere eſſe corpora opaca, inſtar Planetarum, & Terræ, atque maſſas duras, compoſitas ex partibus tertii Elementi, ſibi invicem implicitis & illaqueatis, fere abſque ullo motu.

Demonſtratio.

Cùm plura corpora vel partes materiæ ſimul circulariter moventur, illa quæ minimâ gaudent agitatione, motuique apta ſunt minimè, minores habent vires, ad recedendum a centro. Et contrà illa, quæ maximâ gaudent agitatione, & ad motum ſunt maximè apta, majores habent vires ad recedendum a centro, & reliqua cogunt versùs centrum deſcendere. Eſt hoc tertium principium, quod ſuppoſui, poſtquam e D. Carteſio hauſi.

Jam verò materia primi & ſecundi Elementi multò majori prædita ſunt agitatione, & multò aptiora ſunt ad motum, quàm materia tertii. Quartum hoc eſt principium, quod ubique ſupponit D. Carteſius.

Igitur materia tertii Elementi, non verò illa primi, debet occupare centrum Vorticis. Eſt hæc propoſitio, quam demonſtrandam habui, contradictoria ejus, cui D. Carteſius totum ſuum ſyſtema Lucis inædificat. Ergo Sol & Stellæ erunt corpora opaca, non verò lucida. Nihil hîc ipſi adtribuitur, quod reverâ ipſius non eſt; ac ſimul etiam rogatur, juxta quodnam ſuorum principiorum, cùm neſciat quid faciat fragmentis macularum Solis, nec quem uſum iis præbeat in centro, & prope centrum ſui Vorticis, ubi illæ formantur,

tur, ubique franguntur, eas expelli faciat & protrudi ſatis longè in circumferentiam, quantumvis ſint ramoſæ & parùm motui aptæ, & componere quendam quaſi Aërem, qui juxta ipſum extenditur uſque ad ſphæram Mercurii, atque etiam ulteriùs. Quo pacto fit ut primum Elementum, vel ſecundum quæ vel in centro ſunt, vel propiùs ad centrum, vel immediatè infra illas partes fractas, iis ita jus ſuum cedant, quo gaudent virtute magnæ illius agitationis, & aptitudinis ipſorum ad motum, loci, quem occupant circumferentiam versùs. Ac ſi ſemel illa confuſio, quantumvis oppoſita legibus, quas D. Carteſius in ſuo Mundo conſtituit, versùs Solem toleretur, quare noſtram circa Tellurem lapis, quem projecero in aërem, cogetur deſcendere cum violentiâ versùs centrum propter materiam ſecundi Elementi, quæ infra ipſum reperitur, eâ cauſsâ, quòd ſcilicet ille lapis locum ſibi vindicavit alienum, & qui debetur materiæ, quam ille ſuo e loco expulit, propter magnum ſuum motum. *P. 3. princip. num. 100.*

Hâc ratione Principia Carteſii inter ſe conveniunt. Hâc ratione occaſionem reperit illa adhibendi ad concluſiones contradictorias, opitulantibus nonnullis comparatiunculis, quas in uſum revocare novit, ad caliginem objiciendam illis, qui ejus legunt opera abſque quòd meditentur ſuper iis, quæque vulgò nulli alii uſui ſunt ipſi, niſi paralogiſmis velandis, & inſinuandis propoſitionibus, quas nulla adſtruxerit umquam recta ratio.

SECUNDUM ARGUMENTUM.

P. III. princip. n. 23. Ut comprehendamus hanc difficultatem, ſupponi debet cum D. Carteſio, Stellas fixas non in circumferentiâ unius ejuſdemque Sphæræ eſſe, nec æquè remotas a centro Mundi viſibilis. Unas profundiùs inſinuâſſe ſe in vaſta iſthæc Firmamenti ſpatia, alias magis admotas versùs centrum Mundi. Oportet etiam recordemur, illas omnes habere ſuum Vorticem, cujus occupant centrum, illoſque Vortices eſſe tot quaſi Sphæras diverſas locatas ſupra, infra, & ad latera ſibi invicem. Ita ut, exempli gratiâ, poſſimus concipere Vorticem Solis, in quo noſtra Terra reperitur cum aliis Planetis, inſtar Sphæræ fluidæ, cinctæ pluribus aliis ſimilibus, quas illa diverſis in punctis ſuæ exterioris attingit ſuperficiei, pari ratione ac globus aliis globis cinctus undique eos omnes attingit diverſis in locis ſuæ circumferentiæ.

Tertio loco, in memoriam revocandus eſt modus, quo D. Carteſius lucem explicat, quæ conſiſtit in conatu, quem adhibet materia primi Elementi, quæ eſt in centro Vorticis, ad recedendum ab illo centro, unde ſequitur, illâ premente materiam cœleſtem vel ſecundi Elementi, quæ eſt ſupra ipſam, in omnibus punctis imaginabilibus, ille conatus & iſta preſſio fiant in omnibus lineis, quæ tendunt ad circumferentiam Vorticis; quarum aliquæ neceſſariò incidentes in oculum noſtrum, ubi ille converſus eſt versùs Stellam,

vel


vel verſus Solem, ipſum premunt & agitant eo modo, qui noſtram determinat animam



ad perceptionem, quam viſionem adpellamus.

 Hoc


S. Vortex Solis.



Hoc facilè intelligetur ex hâc figurâ, in quâ exigua puncta, quæ ſunt in centro circuli, referunt materiam primi Elementi, vel corpus Stellæ. Lineæ ductæ ad circumferentiam exhibent materiam cœleſtem, cujus radii finiuntur in oculo locato in circumferentiâ Vorticis.

Audemus adfirmare in illâ diſpoſitione Vorticum, nos, qui ſumus in Vortice Solis, non poſſe videre Stellas, ſi ſupponamus principia Carteſii.

Adjungamus figuræ præcedenti quatuor alios Vortices, quos ſuppono eſſe Vortices quatuor Stellarum proximarum illi Solis. Oculum, qui in aliâ figurâ erat converſus ad videndum Solem, eſſe converſum versùs aliquem ex illis Vorticibus, ad conſpiciendum, exem-



exempli gratiâ, Stellam B, ex principiis Carteſii demonſtratur, illum eam non poſſe videre.

Demonſtratio.

Oculus nequit videre Stellam B, niſi ope radiorum, vel linearum materiæ cœleſtis propulſæ illo conatu, quem Stella B. adhibet ad recedendum a centro ſui Vorticis, cujuſque impulſio cum oculo communicatur eum premendo, & movendo filamenta nervi ejus optici. Jam illud impoſſibile eſt, ſi ſupponamus oculum locatum in Vortice Solis. Hâc id probatur ratione.

Illa impulſio nequit communicari cum oculo, niſi duobus modis, vel quidem immediatè radio, vel lineâ materiæ Vorticis Stellæ. quæ in oculum deſinit ; vel mediatè per lineam Vorticis Solaris, in quo reperitur oculus, repercuſſam versùs oculum a Vortice Stellæ. Sicuti ſi linea B. A. Vorticis Stellæ repelleret versùs oculum lineam A. C. Vorticis Solaris. Quippe impoſſibile captu eſt, Stellam aliquam preſſionem in oculo poſſe producere, niſi uno duorum horum modorum : Jam verò nec ad unum, nec ad alium confugi poteſt.


Non poteſt primus adhiberi, quia Vortices, juxta Carteſium, ſinguli ſeparato gaudent ſpatio, & motu ſuo omnino diverſo. Ita ut lineæ unius numquam confundantur cum lineis alterius : verùm omnes terminentur ſingulæ ad circumferentiam ſui Vorticis; ac ſi ſemel admitteretur illa communicatio, vel potius illa confuſio, omnia quamprimùm redirent ad illud confuſum chaos & impeditum, ex quo D. Carteſius vult ſuum Mundum evaſiſſe ope ſolarum legum motûs ; ac præterea, cùm nullum punctum datur in Vortice Solis, ex quo non poſſimus Stellam videre, oporteret, ut materia Vorticis Stellæ occuparet omne ſpatium Vorticis Solis, quod abſurdiſſimum omnium foret.

Reſtat alter modus, qui nequit utilior eſſe D. Carteſio, quàm præcedens, juxta ipſius principia; quandoquidem, ſecundùm ipſum, Vortices, licèt fortè inæqualis magnitudinis, ſemper debent eſſe exactè æquales viribus. *Tractatus de Luce, cap. 15.*

Ete-

Etenim, ait, niſi illâ inter ſe eſſent æqualitate, certò certiùs ſe invicem deſtruerent. Jam illa æqualitas exinde venit, quòd Stella alicujus Vorticis ſemper uniformiter in gyrum acta, propellat materiam ſui cœli verſùs circumferentiam, & contra Vortices vicinos planè iiſdem cum viribus, quibus Stellæ aliorum Vorticum materiam ſui Cœli propellunt verſùs illius. Unde ſequitur, ex ipſius mente, illos ſemper ſe adverſùs invicem defendere: verùm etiam inde manifeſtò concluditur, materiam Vorticis unius non poſſe illam alterius repellere, nec facere ut illa verſùs centrum redeat, a quo omni vi ſuâ, & omni vi Stellæ illam propellentis recedit. Igitur conatus, quem adhibet materia alicujus ſtellæ ad recedendum a centro, non poteſt ſe exhibere noſtro ſentiendum oculo, quamdiu in Vortice Solari verſatur; quandoquidem communicatio iſtius impreſſionis arctiſſimè impeditur a materiâ Vorticis Solaris, quæ ſe omnibus viribus ipſi opponit, ac per conſequens impedimento eſt illi preſſioni organi, quæ ſola viſionem objecti producit. Ut enim noſmet explicemus comparatione ſimili illi, quam D. Carteſius ſæpe adhibet, ſupponamus cæcum, cujus manus nec progrediendo, nec retrocedendo tangat extremitatem alicujus baculi. Supponamus ſecundò, ipſius manum eſſe eo modo diſpoſitam, ut, quò ille ſentiat baculum, non ſufficiat, illam illi immediatè eſſe junctam, verùm oportere, ut præterea adſit quædam preſſio baculi contra illam manum. Supponamus tertiò, alteram

quandam manum protrudere baculum magnâ vi contra illam manum. Supponamus denique, tertium quendam, baculum medium tenentem, conatum adhibere ad eum e manu cæci auferendum, illumque conatum planè æqualem eſſe illi, quem adhibet ſecunda manus, ad eum protrudendum. Hoc in caſu baculum nec progredietur, nec retrocedet, nulla accidet preſſio in manu cæci, & per conſequens juxta primam ſuppoſitionis partem, illud non ſentiet.




Adplicemus hæc noſtro ſubjecto, imaginemur nobis lineam quandam materiæ cœleſtis extenſam ab oculo ad uſque circumferentiam Vorticis Solaris. Conjunctio immediata iſtius lineæ cum oculo non ſufficit

excitandæ ſenſationi lucis, niſi aliud quid adjungamus. Quod igitur adjungendum eſt conatus & preſſio quædam iſtius lineæ contra oculum, quæ illum ad videndum eſt determinatura, atque eſt hæc doctrina D. Carteſii: Jam unde orietur illa preſſio in hypotheſi, de quâ agitur? Non planè ab illâ lineâ materiæ cœleſtis, quandoquidem illa e diverſo adhibet conatum ad recedendum ab oculo verſùs circumferentiam Vorticis. Nequit igitur illa venire niſi a lineâ Vorticis vicinæ ſtellæ, quæ hanc versùs oculum repellit. Verùm hæc cum eundem adhibeat conatum ad recedendum ab oculo, quem altera adhibet ad illam versùs oculum repellendam: ſequitur illum conatum vel impulſionem non pervenire uſque ad oculum, non magìs quàm conatus manûs, quæ baculum protrudit, ad uſque cæci manum non pervenit; ac oculum non recipere a materiâ cœleſti, illum tangente, preſſionem, quæ requiritur ad ſenſationem viſûs: ſicuti manus cæci non recipit a baculo preſſionem, quæ requiritur ad ſenſum tactûs, vel ad ſentiendum baculum, ac per conſequens, oculum collocatum in Sole, non videre magìs ſtellam, quàm baculum ſentiat cæcus.

Verùm quò hæc omnia confirmentur, in mentem revocandum eſt, in principiis Carteſii, non tantùm quidquid infringit illum conatum illamque preſſionem, verùm etiam quidquid imminuit alterutrum, conſequenter impedire effectum objecti lucidi in noſtrum oculum; atque eâ ratione Philoſophus iſte explicat maculas Solis, vel illa lucis vi-

tia,

tia, quæ percipimus in nonnullis locis diſci iſtius Aſtri. Quippe, juxta ipſum, partes tertii Elementi ſibi invicem illigatæ in ſuperficie Solis impedimento ſunt materiæ primi Elementi, ex quâ Sol componitur, ne materiam cœleſtem versùs meum propellat oculum omnibus cum viribus, quibus antea ipſam pellebat: quod in cauſſâ eſt, cur lineæ materiæ cœleſtis, quæ oculum meum attingunt, quaſque concipimus extendi uſque ad illam materiam tertii Elementi, collectam in corpore Solis, mihi non ampliùs ſint radii lucis, qui me illum locum Solis lucidum exhibent, æquè ac alia. Ita ut lumen quod percipio in omnì reliquo corpore Solis mihi exhibeat in illâ parte vitium luminis, quod macula ſolet adpellari. Jam verò liquidò conſtat, illam portionem materiæ tertii Elementi, quæ fluctuatur tantummodo in ſuperficie Solis, infringere minùs conatum, quo materia Solis propellit materiam cœleſtem verſùs meum oculum, quàm ſi vis quædam æqualis illi materiæ Solis illam repelleret, & remoraretur; ſicuti hic accidit, ubi materia Vorticis Solaris opponit ſe conatui ſtellæ, & per conſequens impedit ne ſe oculo det ſentiendum meo. Verùm D. Carteſius hic digladietur licet, & conetur Lectorem ſuum aliò deducere, ope explicationis refractionum, quæ accidunt radiis Stellarum, ubi illæ in Vorticem Solis tranſeunt. Nihil hic aliud facit, quàm ut quæſtioni novas obfundat tenebras, quarum adminiculo ſe videtur velle eripere. Dicat nobis tantummodo, quid intelligat per radios Stellæ, qui uſque ad ter-



ram veniunt per medium Vorticem Solarem. Id autem quod explicuimus oſtendit, nihil poſſe ipſum eâ de re dicere, quod ferri queat.

Quòd ſi non poſſumus concipere communicationem conatûs & impulſionis alicujus ſtellæ, cujus Vortex immediatè attingit illum Solis, quid aliis fiet de Stellis, quarum Vortices ſunt infinitè remotiores ab illo Solis, & quarum impreſſio non poſſet ſe ſentiendam noſtro exhibere oculo, niſi per medios plurimos Vortices alios, quorum materia movetur adeò diverſimodè, quique tot quaſi ſunt obſtacula iſtius communicationis. Certè, ſi omnia illa, quæ modò diximus, non forent demonſtrativa circa Stellas Soli proximas, eſſent ſine dubio circa omnes reliquas, atque adeò

adeò loco infinitarum Stellarum, quas noctu micantes in Cœlo conſpicimus, non detegeremus centum ex iis ope optimorum teleſcopiorum.

Verùm, quid ſi adjungeremus nos ne viſuros quidem Solem? Probatur id tamen ex iiſdem principiis: etenim ad id ſufficit, Terram habere peculiarem ſuum Vorticem, cujus motus ſit æqualis & oppoſitus illi materiæ cœleſtis, quam Sol propellit versùs oculos noſtros. Jam hæc omnia ſecundùm Carteſium vera ſunt: docet enim conceptis verbis, Terram habere Vorticem ſibi peculiarem, cujus materia conatum adhibet ad recedendum a centro: Iſte conatus adverſatur conatui materiæ Vorticis Solaris ab eâ parte, quâ Terra a Sole illuſtratur. Ille conatus æqualis eſt illi materiæ Solis: etenim, abſque hoc ſi foret, iſte Vortex Terræ non conſervaretur. Igitur impreſſio Solis nequit uſque ad noſtrum oculum pervenire.

Quid dicemus de Planetis & Cometis, quos non videmus, niſi auxilio radiorum Solis reflexorum, qui per conſequens minùs ſunt validi, quàm ſi directi eſſent. Si Vortex Terræ ratiocinio formato juxta, Principia Carteſii, debet hos morari, quantò potiori ratione deberet illos morari, & impedimento nobis eſſe, ne omnia iſthæc aſtra videremus?


Hæc cuncta difficilia nobis viſa; & antequam Carteſianiſmo imbuamur, perfectè ea volumus edoceri. Verùm reſtat adhuc aliquid, fortean optimum, ſuper illo peculiari Vortice Telluris, quod tertiam nobis difficultatem creat.

TER-

TERTIUM ARGUMENTUM.

Tertia hæc difficultas adeò fundata eſt in Principiis D. Carteſii, & tantis gaudet ſequelis adversùm ſyſtema Mundi ipſius, ut, licèt omnes aliæ nullius forent momenti, illa ſola videatur omnia ſubvertere, quæ in eo adparent optimè ſtabilita. Supponit Terram habere proprium ſuum & peculiarem Vorticem in magno Vortice Solari. Hancque prærogativam etiam Jovi largitur, nec eâ Luna fruitur. Explicat iſtam ſuppoſitionem modo pernaturali & admodùm ſimplici, exemplo iſtorum magnorum aquæ Vorticum, quos nonnumquam in fluviis eſt videre. In medio magnorum illorum Vorticum exigui formantur, qui motui magni obſequuntur, & circa ipſius in gyrum aguntur centrum, faciendo eodem tempore folia & paleas circa ſuum proprium ut circumagantur. Nihil tam induſtriè excogitatum ad intelligendum, quâ ratione Terra & Jupiter rotati circa Solem a materiâ magni Vorticis ſolaris, eodem tempore circa ſe rotari faciant alias Planetas: quomodo Luna circa Terram rapiatur, & quatuor exigui Planetæ circa Jovem. Verùm infortunio quodam ubi examinamus illam ſuppoſitionem juxta principia noſtræ Philoſophiæ, videtur illa omnino impoſſibilis.

De-




Demonſtratio.

Vel Vortex peculiaris, qui adſignatur Telluri, idem eſt quem habebat, ubi illa erat adhuc ſtella, vel eſt novus quiſpiam, qui factus, poſtquam alter eſt ſubverſus. Contendimus neutrum poſſe eſſe. Igitur illa nequit vorticem habere.

Non poteſt eſſe idem cum eo, quem olim habebat. Quippe juxta D. Carteſium ſtella non evadit Planeta vel Cometa, niſi cùm ſuum perdit Vorticem. Juxta ipſum Vortex aliquis non conſervatur, niſi quia materia ejus tantum motûs habet & virium, quantum materia illorum, qui ipſum cingunt, & ipſius materia illam perdit æqualitatem virium & mo-

motûs, ſimul ac Stella, quæ in centro exſiſtit, cum ipſo nequit tantum communicare, propter maculas illam contegentes. Jam Terra non tantùm eſt Stella maculis obducta, verùm etiam plurimis magnis cruſtis immenſæ profunditatis. Nequivit itaque illa ſuum conſervare Vorticem, debuitque omnino deſtructa eſſe & abſorpta (ut utar Carteſii verbo) ab Vortice Solis. Reſtat igitur ut videamus, an Terra ſibi novum potuerit Vorticem formare, poſtquam illa Solem versùs deſcenderit.



D. Carteſius reverâ hoc eligit, ut explicet ſuam mentem, hanc figuram delineat, quæ re-

S. *Sol.* T. *Terra.* A B C D. *exiguus Terræ Vortex.* N A C Z. *magnus Orbis, in quo Terra circumagitur circa Solem.*

refert Vorticem Solis, cujus centrum S. eſt Sol. Parvus circulus vel ellipſis notatus C. B. A. D. exhibet exiguum illum ellipticum Vorticem Terræ, quæ Lunam facit circa Terram T. rotari. Circulus N A. C. Z. eſt ille, quem deſcribit Terra in ſpatio annuo circa Solem. Circulus B. &. D. minimam terminant diametrum Vorticis elliptici Terræ. Supponit prætereà, licèt Planetæ & Terra circumagantur circa Solem a materiâ cœleſti, illam tamen materiam nihilominùs celeriùs moveri, quàm Planetas, pari ratione ac aqua alicujus fluvii celeriùs fertur, quàm naves ipſius curſui obſequentes.

Ex hâc ſuppoſitione concludit, materiam cœli non tantùm debere Planetas circa Solem circumagere, verùm etiam circa proprium ſuum centrum, ac illam debere componere exiguos cœlos circa ipſas, quæ eâdem, quâ maximum, moventur ratione.

Secundò concludit, quòd ſi occurrant duæ Planetæ eodem in circulo, quorum una ſit alterâ minor, & per conſequens juxta ipſum citiùs progrediatur, quàm alia, minima verſùs aliam delata majorem ſe debet jungere exiguo cœlo, quod erit circa maximam, & æternùm cum eo circumagi. Atque hoc, ait, accidit Lunæ ratione habitâ Telluris.

Quandoquidem ab illo peculiari Vortice Terræ dependet omnis fere Phyſica D. Carteſii, & ille ſit, ut ita dicam, præcipua rota omnis ipſius machinæ, debuit illum ſtabilire modo quodam, qui rem nulli conteſtationi

tioni obnoxiam reddat, nec hîc aliquid ſupponere, quod cum ratione in dubium vocari poſſet, quodque nequiret defendere cum omni poſſibili ſoliditate; videamus quomodo res ſe habeat.

Explicat primam ſuam ſuppoſitionem, cui reliqua omnia innituntur; ſcilicet materiam cœleſtem, quæ Planetam circa Solem rapit, Planetâ celeriùs circumferri. Explicat, inquam hanc ſuppoſitionem comparatione alicujus navis, quæ deſcendit aliquo fluvio, quæque lentiùs fertur aquâ fluvii: comparatione ſpecioſâ, quæ verò ſolidi nihil habet, quandoquidem ratio, ob quam navis non ita citò fertur, quàm aqua eam ſecum rapiens, non reperitur in Planetâ, quæ natat in mediâ materiâ cœleſti. Illa ratio eſt, quia pars navis, quæ extra aquam eſt, offendit reſiſtentiam in aëre, qui non eundem cum aquâ curſum habet, & qui per conſequens reſiſtit motui, quem aqua navi imprimit: & quò major eſt illa reſiſtentia, ſicuti cùm ventus eſt adverſus, eò motus navis eſt lentior, comparatus cum illo aquæ. Atque quò minor eſt illa reſiſtentia, ſicuti cùm ventus eſt ſecundus, eò celerior eſt navis motus: verùm hoc non accidit in Planetâ, quæ eſt immerſa mediæ materiæ cœleſti: nihil illa habet, quod ſe opponot omni motui, quem illa materia ipſi debet imprimere. Præterquam quòd ex ſe ipſâ cùm ſit indifferens ad motum, & ad quietem, ad hunc, vel ad illum gradum motûs, nullam adhibeat illa reſiſtentiam, ſicuti loquitur D. Carteſius ipſemet, materiæ cœleſti.

Ad-


Adfert deinde rationem quandam iſtius inæqualitatis motûs Planetæ, & materiæ cœleſtis illam ſecum rapientis: ſcilicet, ait, licèt exigua corpora iſtiuſmodi, qualia ſunt partes inſenſiles materiæ cœleſtis, ſimul conſpirantia, ad agendum contra majus aliquod, poſſint habere pares ipſi vires, tamen numquam poſſunt efficere, ut illud adeò celeriter moveatur undiquaque, ac illa moventur, quia quòd ſi conſpirant in nonnullis ex ſuis motibus, quos cum ipſo communicant, certiſſimè in aliis differunt, quos cum ipſo communicare nequeunt. Vel noſmet ipſos fallimus, vel illa ratio mera eſt ineptia, ſaltem relata ad rem, de quâ agitur; & una ex iis artibus, quas animadvertimus D. Carteſium paſſim adhibere utiliſſimè ad Lectori ſuo caliginem obfundendam, ipſumque celandum debilitatem alicujus concluſionis neceſſariæ ad ſuum Syſtema, quam ſentit quidem, non vult autem, ut percipiatur. Tunc enim adfert aliquam plauſibilem comparationem, ipſi quæ inſervit præparandæ menti & cicurandæ, ut ita dicam, imaginationi Lectoris, licèt nonnumquam illa nihil faciat ad præcipuum difficultatis momentum; adjungit ſtatim, ad eam defendendam, aliquam rationem abſtractam, quam pauci poſſunt, vel volunt operam dare ut examinent penitus, prævidens equidem, illos jam mediam partem comparatione victos facilè ſe daturos exiguæ cuidam veritatis ſpeciei, quam ipſis quaſi per caliginem videndam exhibet in ſuâ ratione, quæ ſæpe reverâ nihil eſt, niſi merum ſophiſma. Et hanc quod attinet: quid refert, an

exi-

exigua corpora, quæ majus aliquod propellunt, diverſis prædita ſint motibus? Quid refert, num cum ipſo non commuuicent omnes iſtos diverſos motus, modò ſatis virium habeant illi propellendo, modò illud corpus nullo modo iis reſiſtat, modò omnia conſpirent, ſicuti hîc ſupponimus cum D. Carteſio, ad cum ipſo communicandum motum, de quo agitur, & modò ea concipiamus omnia adplicita ejus ſuperficiei eâ ratione, ut ipſum propellant versùs eum locum, quò ipſamet propelluntur. Certè enim hiſce circumſtantiis poſitis, concipimus, illud pari cum iis celeritate debere ferri.

Interea e principio tam parùm firmo, veluti hoc eſt, concludit materiam cœleſtem debere efficere, ut Planeta ſuum circa centrum rotetur, & componere parvulum cœlum circa illum, quod movetur eodem tempore, quo maximum. Verùm ne hanc ſuppoſitionem ejus in dubium vocemus, quantumvis peſſimè probatam, ſequamur potiùs ipſum in ſuo ratiocinio; ac ut videamus, an ſit legitimum, imaginemur nobis Terram T. veluti ſuſpenſam in vacuo, & exhibeamus nobis circulum quaſi cœleſtis materiæ latitudinis diametri Terræ, qui cum impetu delatus inſtar torrentis illam ſimul ſecum rapit: verùm quia ſupponitur, illum illâ celeriùs ferri, exiſtimo equidem, nos concipere, licèt non multam operam legibus determinationum motûs navaverimus, illum torrentem cœleſtis materiæ ita occurrentem Terræ, e veſtigio in duas ſeceſſurum partes, & duo quaſi brachia, quorum hoc ſupra, illud infra Terram decurret; & ſi

concipimus illum torrentem profunditatis æqualis vel majoris, quàm eſt diameter Terræ, fore ſe ut diffundat undiquaque per ſuperficiem Terræ, ſupra, infra, & ab omnibus parti-



bus. Unde ſequitur, ipſum nullum impreſſorum illi motum circa ſuum centrum, immo etiam ipſi ablaturum, quòd ſi habet, omnibus lineis iſtius torrentis inter ſe invicem in æquilibrio conſtitutis, & ſe opponentibus determinationibus, quas in Terrâ reperiunt contrarias ſuæ. Jam nobis videtur, ubi hâc ratio-

S. Sol T. Terra, A B C D. Parvus Vortex Terræ. N A C Z. Magnus Orbis, in quo Terra circa Solem circumagitur.

ratione res explicamus, non eſſe comparationem quandam, quam exhibemus, verùm perfectam quandam ideam ejus quod fieri debet in motu materiæ cœleſtis, quæ Tellurem circa Solem in gyrum rapit.

Quare igitur vult Carteſius, materiam cœleſtem, quæ Terram ſecum rapit, ſeque adplicat ſuperficiei ejus a latere A, currentem illâ celeriùs, integram currere ab A in B, & dimidiam partem non ire ab A in D; impoſſibile enim eſt, rem fieri & concipi alio modo. Verùm id ſi eo modo debet fieri, ſicuti de eo dubitare non poſſumus, non datur ampliùs Vortex; quandoquidem materia, quæ fertur ex A in D impedimento eſt illi, quæ fertur ex A in B, ne redeat per C D. Poteſtne quidpiam dari evidentius, & ſenſus magis feriens, quàm hæc demonſtratio?

Verùm ſupponamus, ex impoſſibili, materiam quæ venit in A, omnem declinare ad fluendum versùs B, fieretne tum Vortex? Non, profectò: etenim illa e B in C progrediens, & in C adveniens debet recedere a centro ſui motûs, & in viâ ſuâ perſiſtere versùs D, cujus ratio eſt in Principiis D. Carteſii, quia locus eſt totius parvi circuli, quem illa occepit deſcribere, in quo minus reperit reſiſtentiæ. Primò, quia materia, quam offendit in illo puncto jam in motu eſt versùs Z, & ex ſe ipsâ ipſi locum cedit. Secundò, quia illa, quæ eſt inferiùs, hoc eſt inter D & C illi reſiſtit, & impedimento eſt, ne deſcendat, cùm ſit illâ multò gravior juxta D. Carteſium. Ac tertiò, quia circulus C Z eſt ejus locus naturalis juxta eundem Philoſophum.

N 2

phum. Fluet itaque potiùs verſus Z, quàm verſùs D, & per conſequens non efficiet Vorticem.

Supponamus verò præterea, Vorticem fieri, & materiam ſuum curſum conficere ab A in B, ab B in C & ab C in A, iſte Vortex conſervabiturne? Omnino non. Etenim unum horum trium obtinet: vel eſt fortior Vortice Solari, hoc eſt, materia ejus tendit fortiùs ad recedendum a ſuo centro, quàm illa Vorticis Solaris, quæ eſt ab S uſque ad D, tendit ad recedendum a ſuo, vel minùs fortis eſt, vel æqualis viribus? Si minùs fortis eſt, debet deſtrui ab illo Solis. Si fortior, debet deſtruere illum Solis. Reſtat igitur, ut æquis ſit viribus, neceſſariò opus eſt, Carteſius id ſupponat: verùm quâ ratione nobis id probaturus eſt, haud dico demonſtratione quâdam (non tantæ quæſtioni eum ſubjicere volumus), ſed poteritne vel minimam adferre conjecturam, quæ veroſimilem nobis reddat hanc ſuppoſitionem. An non contrà poſſemus plures rationes adferre, ad iſtam ſuppoſitionem deſtruendam? An non poſſemus oſtendere, ſi Vortex Terræ eſſet æquè fortis ac ille Solis; & ſi exigui Globi, ex quibus componitur, recederent cum tantis viribus a centro Vorticis, Terram, juxta Principia Carteſii, debere adparere quendam Solem, & Jovem etiam; quia, quod nobis lucidum exhibet centrum alicujus Vorticis, motus eſt vehemens ejus materiæ, etiam licèt, ait Carteſius, illud centrum omni foret materiâ vacuum; an non poſſemus etiam, imitantes ſtylum hujus Philoſophi, conferre

Vor-

Vorticem Solis ab S uſque ad D ingenti cuidam Mari, cujus fluxus contrarius qui fertur exigui fluvii deſcenſui, cui Vorticem conferremus Terræ, illum cogit ad redeundum, ejuſque aquas determinat ad motum planè oppoſitum illi, quem antè habebat. Jam juxta D. Carteſium, Vorticem aliquem deſtrui, & materiam iſtius Vorticis motum adſumere, ac determinationem alterius cujuſdam, una eademque res eſt. Quòd ſi D. Carteſius poſſet probare ſuum Vorticem Terræ minimâ ratione earum, quas nos attulimus, vel comparatione naturali adeò ac illa, quam modò adhibuimus, ad oſtendendum, meram eſſe chimæram, ſe tutum exiſtimaret adversùs omnes impetus adverſariorum ſuorum maximè induſtriorum.

Quòd ſi nunc difficultates examinatum iremus, quæ poſſunt oriri a parte exigui Planetæ, hoc eſt Lunæ conſideratæ in exiguo Vortice Terræ, fortè non minores reperirimus.

Vide figuram exhibitam antè, pag. 290.

Adfirmamus tantùm, quòd ſi ſupponimus, Lunam, ubi pervenit ad A., versùs B abripi, illam debere extra Vorticem in C egredi. Etenim 1. Illa eſt ſuperficies exterior exigui Vorticis, juxta Carteſium. 2. Illa conatur inde exire juxta magnum ejus Principium motûs Circularis. Contendit, illam non poſſe versùs B egredi, quia materia Vorticis ſolaris illo in loco levior eſt, illamque versùs centrum repellit. Nec illa magìs deſcendet,

juxta ipſum, versùs K, quia, ait, materia cœleſtis iſtius partis Vorticis gravior eſt illâ, & pari ratione ſe opponit illius deſcenſui: nos verò, nos contendimus illam exituram in C, & viam ſuam proſecuturam versùs Z. Quippe in C dum eſt, illa non reperit reſiſtentiam, quia materia C Z eſt illa ſui circuli, quæ jam in motu exſiſtit ad ipſi cedendum locum. Præterea in illo exſiſtens puncto, illa actu conatum adhibet, ad recedendum a centro ſui motùs, hoc eſt a T, igitur recedet ab eo, quandoquidem nihil ipſi impedimento eſt, ſicuti in aliis punctis, & e circulo ſuo exiens illa determinabitur ad viam ſuám proſequendum versùs Z, a materiâ quæ eſt ſupra, & infra illum circulum ob rationes, quas adfert ipſe D. Carteſius.

Nihilominus his non obſtantibus videmus equidem, Carteſio ſuas fuiſſe rationes, cur res iſto ſupponeret modo. Nimis longè provectum erat ipſius Syſtema: non decebat, ut ibi greſſum ſiſteret, idque in gratiam Lunæ. Omnes primarii Planetæ locati erant ſinguli juxta ordinem, quem ipſis ſua dat ſoliditas. Ipſa Luna locum ſuum repererat in circulo Terræ. Exiguum quoddam incommodum repertum eſt, ſcilicet oportebat, ut illa circa Terram raperetur, & per conſequens eſſet nunc in eodem circulo cum Terrâ, nunc verò non. Requirebatur ad id exiguus quidam Vortex. Eſt hæc unica & optima ratio, quam habuit iſtiuſmodi Vorticem conficiendi datâ operâ; nec alioquin ſolæ leges Staticæ umquam ipſum adegiſſent ad novos illos ſumtus faciendos.

Non

Non tam diu immorati fuiſſemus huic articulo, niſi ipſum habuiſſemus pro præcipuo capite Syſtematis Carteſiani, & pro fundamento magni iſtius ædificii, quod noſtro ævo a tot hominibus exiſtimatum eſt ingenii humani opus coryphæum. Jam ejus diſpiciemus momentum in conſequentiis, quas inde ſumus deducturi.

Conſequentiæ demonſtrationis præcedentis.

Prima conſequentia ſpectat Aſtronomiam, & Phænomena Planetarum. Primò enim, Vortice jam ſublato, Luna non ampliùs circumagitur circa Terram, quandoquidem juxta D. Carteſium unica cauſſa, quæ eam facit rotari circa Terram, eſt ille Vortex, qui eam abripit. Secundò quatuor Satellites Jovis iſtâ excident dignitate, quam non poſſident, niſi quia ſemper circa ipſum gradiuntur, idque opitulante Vortice peculiari, qui adſcribitur illi Planetæ, æquè ac Terræ in magno Vortice Solari. Etenim omnia, quæ diximus de Vortice Terræ, & Lunæ, debent adplicari Vortici Jovis & ipſius Satellitibus.

Duo hæc ſatis magni momenti ſunt in Aſtronomiâ, ut fidem facere poſſimus, Mundum Carteſii planè non noſtrum eſſe, verùm ab eo omnino differre.

Secunda conſequentia ſpectat fere in genere omnia primaria Phænomena inferioris hujus Mundi, quorum hic non niſi præcipua, & intellectu facillima attingemus. Non niſi ope Vorticis Terræ Carteſiani poſt Præceptorem

ſuum explicant corporum gravitatem, & rationem reddunt motûs, quo prædita ſunt, versùs centrum Terræ: quippe exempli gratiâ, ajunt illi, ubi lapidem in altum projicis, infra ſe ille detrudit maſſam ſecundi Elementi, & aëris ſuo volumini æqualem. Jam illa maſſa multò majori pollet agitatione, & aptitudine majori ad motum, & per conſequens majori vi ad recedendum à centro ſui Vorticis, quàm lapis, qui non continet fere, niſi tertii Elementi materiam, & proinde ille debet a materiâ ſecundi cogi, ut deſcendat versùs centrum Vorcis, hoc eſt versùs centrum Terræ. Igitur cum veritate dicitur, ſine illo Vortice corpora gravia fore ut non deſcendant, contrà verò adſcendant, & illo in caſu mira videremus.

Juxta novum ſyſtema, Sol, quantumvis a Terrâ remotus, non in tuto verſaretur, quòd ſi adhuc ii reperirentur populi, qui moleſtè ferentes ſe ab illo uri ardore radiorum, certis quibuſdam temporibus convenerunt, ad inſinita numero tela in eum conjicienda. Iſthæc enim tela e Terrâ jactâ versùs Solem, ſibi obviam fierent in circumferentiâ Vorticis ejus, & in medio iſtius materiæ ſecundi Elementi, quæ omni conatu tendens recedere a centro ſui motûs, cogeret corpora minùs, quàm illa, motui apta, ad tendendum versùs centrum, hoc eſt versùs Solem. Jam illa tela eſſent corpora ſic ſatis minùs apta ad motum, quàm materia ſecundi Elementi, igitur illa ea cogeret versùs Solem ire, quod ſanè a miraculo non abludit multum. Atque eo in caſu, facilè rationem redderemus cujuſdam experimenti, quod P. Merſennus olim

ſcripſit

ſcripſit ad D. Carteſium ſe inſtituiſſe, quod in eo conſiſtebat, ſcilicet, ſi ſclopetum perpendiculariter versùs Zenith explodatur, globum non recidere denuò: hinc enim iſte globus indubiè uſque ad Solem abreptus fuiſſet. *Epiſt. 3. Tom. 2.*

Ex illo Syſtemate, ubi vellemus iter obire, non dico ad globum Lunæ, ſicuti Cyranus Bergeracius, verùm ad ipſum Solem, nihil nobis foret facilius. Opus eſſet tantummodo, ut caput perpendiculariter versùs Solem converteremus, & deinde aliquem faceremus exiguum ſaltum, ut noſmet ipſos in motum concitaremus, & occaſionem daremus materiæ Vorticis Solaris, quæ in Terram impingeret, nos infra pedes propellendi. Juxta Carteſii principium, illa nobis impreſſionem daret, quæ nos momentulo uſque ad illud Aſtrum perduceret. Ut uno verbo dicam, corpora gravia non deſcenderent ampliùs versùs Tellurem, verùm omnia versùs Solem ferrentur.

Quid dicemus de fluxu & refluxu Maris, qui eſt ex optimis locis Philoſophiæ D. Carteſii, & in cujus ſolius gratiam deberemus vicem iſtius Vorticis dolere: etenim favente iſto Vortice, D. Carteſius, & Rohaltius mira narrant ſuper iſto impenetrabili naturæ Phænomeno. Non tantùm integrè dependet de Vortice, verùm etiam de figurâ iſtius Vorticis, quæ datâ operâ elliptica facta eſt, & unicè eam ob rationem, licèt ab initio fortè illa mens Philoſopho non fuerit. Numquam enim Poëta Tragicus meliùs, nec majoricum induſtriâ ſuæ tragœdiæ præparavit epiſodia,

quàm D. Carteſius ſuas concluſiones. Stupemus, cùm cernimus, ubi eas deducit, verbum aliquod, quod in tranſitu protulerat, & ut videtur, nullo cum ſcopo, jeciſſe quaſi ſemina infinitarum elegantium conſequentiarum. Miramur in tertiâ ejus parte Principiorum cùm videmus figuram iſtius Vorticis, quæ non meliùs eſt ſtabilita, ac ipſe Vortex: verùm cùm in quartâ videmus neceſſitatem, quæ D. Carteſium urgebat, ut explicare poſſet fluxum Maris, laudatur, quòd illâ uſus ſit cautione. Nec tamen, non obſtantibus bellis & ſpecioſis illis explicationibus Phænomenon refluxûs Maris, non demonſtratur falſitas Carteſiani ſyſtematis, etiam circa illam rem in ſpecie. Verſatiſſimi Mathematici, qui poſt D. Carteſium prodiere, reflexiones ſuppeditârunt & obſervationes, ad nos ejus convincendos. Demonſtratur ex obſervationibus diſtantiarum Lunæ, quæ determinantur diametris ſuis adparentibus, illud Aſtrum æquè eſſe remotum in quàm plurimis conjunctionibus & oppoſitionibus, quàm in nonnullis quadraturis, atque adeò propinquum in nonnullis quadraturis, ac in nonnullis conjunctionibus & oppoſitionibus. Igitur falſum eſt, Apogeum Lunæ ſemper eſſe in quadraturis, & Perigeum in conjunctionibus, & oppoſitionibus. Igitur ſupponi nequit Lunam, ubi in conjunctione & in oppoſitione eſt, eſſe ſemper in exiguâ diametro Vorticis elliptici; & in quadraturis illam ſemper in magnâ eſſe Diametro.

Interea hujus ſolius ſuppoſitionis ope Carteſius explicat, & explicare poteſt inæqualitatem

litatem Fluxuum in conjunctionibus, & oppoſitionibus, & in quadraturis, illorumque, quos videmus in Æquinoctiis, & in Solſtitiis.


Præterea, ſi quando Luna per noſtrum tranſit Meridianum, preſſio Aëris eſſet adeò notabiliter validior, quàm aliâ quâdam diei horâ, deberemus id animadvertiſſe in vulgaribus experimentis Tubi Torricelli. Attamen numquam illam differentiam conſpeximus, quæ deberet eſſe maxima. Poſſemus adhuc plures rationes alias adjungere validiſſimas adversùs hoc ſyſtema, verùm quidquid ſit, ſi Terra non ampliùs habet Vorticem, non datur fluxus, nec refluxus.

Tandem, juxta D. Carteſium, materia eſt cœleſtis illius Vorticis, quæ majori motu prædita, quàm indiget, ad rotandum viginti quatuor horarum ſpatio circa Terram, quod ſupereſt impendit ad ſe in omnia latera diffundendam, & cum materiâ tertii & primi Elementi producit omnem illam magnam varietatem effectorum & corporum, quæ in mundo miramur. Itaque peſſum dato illo Vortice, omnia confundentur, & in antiquum reditura ſunt chaos. Quapropter non tantùm gloriæ Carteſii, verùm etiam utilitatis totius humani generis intereſt illum Vorticem ſervari. Cæterùm teſtificamur, nos cum gaudio viſuros ſolutionem difficultatum, quas ipſi propoſuimus ſuper hoc & reliquis articulis, illamque e veſtigio exceptum iri a noſtrâ integrâ & ſincerâ ad Carteſianiſmum converſione.

Verùm, nobis reſpondendo, ne conentur

nos aliò deducere : ne citent unum aliquem e Carteſio locum , ad nos convincendos, ipſum contrarium non dixiſſe in alio, quando factum conſtat. Hoc non eſt niſi decipiendo eos , qui non legerunt exactè ejus opera , & clariùs oſtendendo contradictionem iis, qui operam impendunt conferendo oppoſita loca. Deſideramus nos præterea reſponſa præciſa, & adcuratiora, quàm plurima eorum, quæ olim ipſe dedit ad plurimas objectiones , contra Metaphyſicam ſuam propoſitas. Iſthæc reſponſa excitant magnum numerum novarum difficultatum in mente ; & interea, quia illa impreſſa ſunt juxta cum plurimis elogiis Auctoris , quoniam dictatoriè ibi ſe gerit admodum , & ſæpe ſatìs dedignatoriè , quòd non ſemper ibi videantur inſtantiæ, plurimi adſueverunt ea habere pro alteris quaſi oraculis , quibus confirmavit & explicuit quæ pronuntiavit prima. Non hoc modo nobis imponet fama & auctoritas D. Carteſii , non magìs quàm exiſtimatio , quam fovemus erga nonnullos ex ejus diſcipulis. Laudamus & adprobamus conſilium , quod dat iis qui veritatem quærunt, ut ſibi caveant a præjudiciis, idque in uſum revocaturi ſumus. En tibi, mi Domine, præcipua eorum, quæ continebantur ſcripto meorum Peripateticorum. Nonnulla adhuc oretenus adjungebant alia, ſicuti exempli gratiâ : magnopere in moleſtiam fore ut conjectus fuiſſes , ſi tua veſtigia preſſiſſent in quartâ parte tui libri Principiorum , præſertim a numero 32. uſque ad 45. ubi ad tam minuta deſcendis circa ordinem iſtarum par-

partium tertii Elementi, ex quibus tuam Terram formas: multa in iis haberi, quæ contentam non redderent mentem, nec ullam dari paginam, ubi non poſſes ſæpiùs cum ratione interrogari, quare iſtiuſmodi res hoc potiùs, quàm altero illo fieret modo, abſque quòd potuiſſes ferendam ejus reddere rationem; credere ſe, illum tuæ Phyſicæ locum eſſe ex iis, quæ plurimum momenti attulerat, ad tuæ Philoſophiæ apud plures eam conciliandam famam, ut pro merâ fabulâ haberetur ſic ſatìs malè compoſitâ, atque tuos adverſarios, non immorantes refutandis tuis propoſitionibus, quas ibi proponis, quarum examen non poſſet quin admodum tædii plenum eſſet futurum, opus tantùm habere ut eò ablegarent Lectores, quò illos malè admodum de te contentos reddant.



Dicebant adhuc, te adſcribere tuis mentis proprietates, quas iis non reli nisi quamdiu uſui tibi veniunt. Exempl jus mihi exhibebant materiam primi Ele iſti materiæ pro proprietate adſcribis, gnam facilitatem ad diviſionem, & mu nem figuræ, ita ut ipſa facilè omnia per & ſine difficultate omnis generis co ſpatia. Verùm ubi perventum eſt, a illi, ad explicationem naturæ magnetis illa proprietas Carteſio moleſta evadat, contrariam illi adſcribit aliam. Opus e ut habeat circa Terram, & circa unun que magnetem exiguum quendam Vo materiæ Striatæ, ad reddendam ra qualitatum mirandi iſtius lapidis. Iſta culæ Striatæ pertinent ad primum E tum. Olim adſumſerunt quàm facillim ram cochlearum, tranſeundo inter tres ſecundi Elementi. Et nunc, ubi e T grediuntur, vel magnete aliquo, par pares ſunt iis remorandis. Cùm debere pi & ſe accommodare figuræ partium ſecundi Elementi, illi mixti, coll magnâ quantitate circa Terram & tem, ubi conficiunt quendam Vortice quæ per Polum Auſtralem ingrediunt poſſunt egredi per Polum Septemtrio quia figura ipſarum nequit ſe accom ampliùs illi tranſitui; ac præterea il ſione me rogabant, quâ ratione poſſ ut omnes iſtæ particulæ Striatæ ita de certo quodam ſpatio, & inter ſe agit tu quodam valde confuſo, adpropi ad Polum Terræ vel magnetis, iis c

Parte 3. princip.

portione gaudentem, converterentur adeò opportunè, & exactè adeò ſuum offerrent apicem, ad ingrediendum in poros iſtorum corporum. Contendebant contrarium videri debere accidere, & maximam illarum particularum partem debere ſe tranſverſum offerre, & per conſequens impedimentum creare aptum detinendis omnibus aliis, & obturandis poris Terræ & magnetis, ac deinde impediendis omnibus effectis, quæ nos ibi miramur. Præterea mihi etiam exhibuerunt paradoxum aliquod jucundum ſatis. Huc uſque, inquiebant, æquiſſimi Philoſophi confeſſi ſunt, non poſſe contra Copernicum probari ullo argumento phyſico, Terram non rotari circa ſuum centrum: verùm D. Carteſius, qui illum Aſtronomum in ſuâ ſequitur hypotheſi, adversùs illum motum nobis fortiſſimum aliquod ſuppeditat. Magnum ejus Principium eſt, omne corpus, in gyrum actum, conatum adhibere ad recedendum a centro ſui motûs: verum eſt illud Principium. Concludit inde, Terram, circa ſuum axem rotatam, in fragmenta fore ut diſſiliret, niſi omnia corpora, ex quibus illa componitur, premerentur & urgerentur ab omni parte contra ſe invicem a materiâ ſecundi Elementi. Illa conſequentia adhuc eſt evidens in Syſtemate ipſius: verùm reſtat ut videamus, an illa preſſio materiæ ſecundi Elementi capax ſit ſuperandi conatum, quem adhibent partes Terræ, ad ſe ſeparandum, & ad recedendum a centro ſuo. Hæc difficultas, inquiebant, peculiaris eſt Carteſio: quippe juxta Scholaſticorum ſententiam, tantùm abeſt ut agnoſcatur iſtiuſ-

mo-

modi conatus in partibus Terræ, ad
dum a centro, ſupponitur quædam
& propenſio quædam, quæ eas n
eò adligat. Jam verò inſtitutâ com
preſſionis corporum terreſtrium in ſe i
materiâ ſecundi Elementi, & conati
rum terreſtrium, ad recedendum a ce
evidens eſt conatum debere ſuperare
nem: conatus enim corporum æqu
eſt, ac motus, qui eum producit, i
tus eſt maximus, quia facit ut Terra
plura milliaria ſingulis minutis; & c
perientia docet, ad ſuperandam illa
nem exiguo tantùm opus eſſe cona
niam is tantùm requiritur, quem adh
quatuor annorum ad levandum ped
eundum, ipſumque a Terrâ ſeparand
preſſio ſola materiæ ſecundi Element
figebat. Ex hiſce cum ratione vide
cludi poſſe, Terram non converti c
axem, quandoquidem ſi illa conve
omnes in aërem projiceremur juxt
pium motûs D. Carteſii, quod in ſe
in rectâ Philoſophiâ. Atque ita ho
ma ſuppeditat validiſſimum argume
versùs illud Copernici.

Præterea mihi indicârunt nonnull
ſyſtematis, quæ maximi momenti ſu
que tu proponis, ut illi contendunt
tùm ſine probatione, verùm contr
rationem; ac in ſpecie me rogârun
rem cum attentione, & ſine præoc
numerum ſecundum quartæ partis
Principiorum, ubi, poſtquam ex
quomodo Vortex Terræ deſtructu

quomodo formata ſit circa totum illud Aſtrum incruſtatum magna quædam extenſio Aëris, illam facis non tantùm deſcendere ſatis profundè in Vorticem Solarem, verùm etiam facis, ut ipſam ſequatur & comitetur illa ſphæra aëris, quæ eam ſuo in deſcenſu cingit. Volunt illam ſuppoſitionem, quam quaſi in tranſitu projicis, & abſque ullâ omnino probatione, concipi non poſſe; & nihilominus, ſi illa falſa ſit, impoſſibile fore, nos ut habeamus nunc aërem circa noſtram Terram, nequit illa concipi, ajebant,: juxta Carteſium enim aër nihil aliud eſt, niſi collectio partium tertii Elementi, admodum exiguarum, & ab invicem validè ſejunctarum, & facilè obſequentium motibus, quos ipſi imprimunt exigui Globi ſecundi Elementi, quibus innatant. *Part. 4. princip. n. 45.* Jam verò hiſce ita ſe habentibus, quî fieri poteſt, ut Terra permeans omnia illa immenſa ſpatia, quæ ſunt a loco, ubi illa eſt, ad extremitatem Vorticis Solaris, unde venit, ſibi conſervârit omnem aërem eam ambientem. Quomodo juxta principia illius Philoſophi, maſſa aëris quæ multò minùs ſolida eſt maſsâ Terræ, potuit habere eundem motum, eandem determinationem, celeritatem eandem, quàm Terra? Quâ ratione omnes illæ exiguæ partes ita ſejunctæ, ita ab invicem independentes, ita obſequentes omnibus motibus materiæ cœleſtis, non diſſipatæ ſunt a rapiditate materiæ, per quam deſcendebant, ſicuti pulvis a vento diſſipatur? Sed, adjungebant, quomodo illa maſſa aëris nunc propellitur cum Terrâ a materiâ cœleſti? Quomodo illa omnes habet eoſdem motus? Num ad corpus

Terræ, vel ad globum aëris materia
ſe adplicat ad conciliandum utrique
diurnum, & motum annuum? Co
nuſne Carteſianus hîc ſe facilè expedive

Mitto, mi Domine, complures ali
cultates, quarum fortè ſolutionem rep
ſum in reſponſis, quæ, ſicuti ſpero,
tua bonitas, daturus es ad illas, quas t
epiſtolâ indicavi. Porrò autem, obſe
ut illum ardorem, quo ad te ſcribo,
pro fructu ardentis amoris, quem mih
veritatem inſpirâſti, aç præprimis, ut
mentem gratiosè interpreteris. Tranſ
tantummodo proprios terminos, quos a
ſarii mei adhibuerunt in hoc ſcripto ſuo
credidi, venerationem, quam tibi de
me cogere ut te celem omnes inſultabund
tiones, quas eum in finem adhibuerunt.
iis cognoſces, quantopere mei intereſt
honoris Sectæ noſtræ, ne patiaris, ut ill
id ſeriò triumphent.

Magnum illud & ejus momenti negoti
quod nunc tibi faceſſit productio novi Mu
junctum illi indifferentiæ, in quâ ſempe
verſatus, & in quâ etiamnum magis q
umquam verſaris circa ſententias homin
cum ratione poſſent apud te efficere, ut ne
geres, & flocci faceres iſtiuſmodi gerras
nugas. Signa verò illa prætervulgaria bo
tatis, quæ mihi exhibuiſti, ſpem ſubjiciu
te aliquam mei honoris habiturum ratione
nec auxiliares negaturum manus, ad me a
guſtiis eripiendum, quibus, fateor, ſatis r
impeditum comperio. Rogavi P. Merſe
num, ut rebus meis apud te opitularetu
qu

quò illâ fruerer gratiâ, ac ſimul tibi fidem faceret, ſicuti & ego hîc facio, omni, quâ poſſum, reverentiâ, me toto corde, toto animo eſſe,

MI DOMINE,

Tuum humillimum, & obedientiſſimum ſervum, ac fervidiſſimo zelo Diſcipulum.